PROPOSITIONES ALIQUOT MARCI MASTROFINI FIDELITER EXTRACTAE TUM EX...

Alessandro Dilio, Marco Mastrofini, Josè Maria Fonseca de Evora

PROPOSITIONES
ALIQUOT
MARCI MASTROFINI
FIDELITER EXTRACTÆ

TUM

EX SUA DISSERTATIONE IN QUA DE DEI EXISTENTIA
DISPUTAT A PRIORI

TUM

E SUBLIMIORI SUA METAPHYSICA

DE DEO TRINO ET UNO

NOTISQUE ILLUSTRATÆ.

AUCTORE

ALEXANDRO DILIO PRESBYTERO ARGENTINENSI.

ROMÆ MDCCCXXII.

APUD FRANCISCUM BOURLIÈ

PRÆSIDUM PERMISSU.

Doctrinis variis, et peregrinis nolite abduci.

Heb. XIII. 9.

PRÆFATIO

I. Quæ me ad opellam hanc scribendam caussa impulerit, quemque mihi finem proposuerim, paucis, Lector, accipe. Vix lucem aspexerat Metaphysica Sublimior de Deo trino, et uno, Auctore Marco Mastrofini Matheseos, et Philosophiæ publico Professore; cum variæ confestim de ea, et discrepantes doctorum hominum exortæ sunt opiniones: aliis eam defendentibus, accusantibus aliis. Hasce inter dubietates cupiens de rei veritate certior fieri, quoniam de Re omnium gravissima, atque sanctissima agebatur, Mastrofinii opus comparare mihi proposui, ac legere. Verum, cum Roma, ubi illud typis datum erat, longe abessem, et medium mihi ipsum habendi non suppeteret, explere desiderium meum non potui. Post biennium Romam Superiorum jussu revocatus, Mastrofinii Opus mihi comparavi, animo reputans, illud diligenter evolvere, ut quæ in eo doctrina contineretur, edocerer; sed tum variis curis, ac laboribus repente præpeditus, tum deterritus operis magnitudine, et subtilitate, nec non et expolita quidem, sed involuta, prolixaque scribendi ratione, illud illectum relinquere coactus sum. Aliquanto postmodum levatus molestiis, iterum opus legere aggressus sum. Quo factum est, ut quæ inter legendum propositiones mihi non probabantur, in adversaria referrem, adjectis cuilibet propositioni notulis, quæ cujusque sensum extunderent. Dum in eo perficiendo totus eram, incidi in aliud ejusdem Auctoris Opusculum, anno MDCCXC. editum Tusculi typis Seminarii, titulo prænotatum: Num vere hucusque ac solide Dei existentiam a priori ostenderint Philosophi expenditur tum alia demonstrationis hujus conficiendæ methodus examinanda proponitur &c.: *In quo nimirum opusculo a §. I. ad XXI. B. Anselmi, Cartesii, Wolphii, ac Joannis Scarella demonstrationibus, quas iidem pro adstruenda a priori Dei existentiam excogitaverant, rejectis, aliam ipse fabricatus est demonstrationem, quam a §. XXII. cæptam, ad calcem usque dissertationis persequitur. Quoniam porro et in Opusculo ejusmodi, eadem, quæ in Metaphysica Sublimiori, doctrina deprehenditur, nonnullas pariter ex eo propositiones excerptas notulis illustravi, et Metaphysicæ Sublimioris propositionibus, præmisi, eo consilio, ut, quæ obscura in Sublimiori Metaphysica habentur, atque involuta, lumine ex aliis Auctoris cogitatis accersito, magis perspicua fierent, ac innotescerent.*

II. Nemo porro ad scribendum me descendisse arbitretur, odio in cl. Auctorem, aut alia passione extimulatum; sed unice excitatum amore veritatis. Si

enim ex Christi Jesu Salvatoris nostri mandato jubemur et inimicos diligere; qui prosequi odio auderem hominem, a quo nulla unquam injuria affectus sum? Nulla igitur cl. Auctorem insectandi prurigine, scribendi consilium cœpi non injussus, sed veritatem tuendi animo, quam ob temporis hujus nequitiam in maximum discrimen adductam suspexi: neque Auctoris Personam, quam revereor, et plurimi facio, sed opus adorior. Quod si asperius quid, vel acrius in hac mea Scriptiuncula, quod auctorem lædere videatur, offenditur; id nolim defectui Charitatis Christianæ, quæ tessera est verorum Christi discipulorum, Lector attribuas; sed unice zelo fidei, quo devoror, meæque rusticitati adscribas. Testis enim mihi est Deus, quod habeam Mastrofinium in visceribus Christi, et animam quoque meam, Deo auxiliante, ponere paratus sim pro amico meo. Sed Christiana Charitas acribus quandoque reprehensionibus non parcit, cum et ejus, qui reprehenditur, speratur correctio, et eorum, qui lecturi sunt, periculo occurritur. Divino quippe eloquio erudimur (a): *Meliora esse vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis.*

III. Quod tandem præfari volo, id est potissimum, ne scilicet Lector, opineris, me judicium Catholicæ Ecclesiæ circa opera Mastrofinii prævertere voluisse. Quis enim ego sum, qui tanta audere præsumam? Sancta quippe Ecclesia, quæ est columna, et firmamentum veritatis (b), *quæque ab* illo Spiritu Veritatis (c), qui a Patre, *Filioque procedit, omnem docetur quotidie veritatem, non indiget judicio meo. Et Petrus, super quem fundata Ecclesia est, cuique oves omnes Christus pascendas tradidit*, semper vivit in suis successoribus (d), *et* præstat quærentibus fidei veritatem. *Immo tantum abest, ut judicium Romanæ Ecclesiæ antevertere voluerim, quin potius opellam hanc meam, meque ipsum Apostolicæ Sedi ore, mente, corde, simpliciter, absolute, omnimode subjicio, paratus, si aliter sapio, ejus judicio, emendare. Vale*

(*a*) Prov. XXVII. 6.
(*b*) 1. Tim. 3. 15.
(*c*) Jo. 15. 26.
(*d*) S. Petr. Chrys. in ep. ad Eutich.

PROPOSITIONES
EX MARCI MASTROFINI
DISSERTATIONE

Cui titulus : „ Num vere hucusque ac solide Dei existentiam „ a priori ostenderint Philosophi expenditur, tum alia demon- „ strationis hujus conficiendae Methodus proponitur „.

Tusculi Typis Seminarii MDCCXC.

PROPOSITIO I.

„ *Possibilia omnia extra nihilum reperiuntur* „. (§. XXIII. pag. 18.).

NOTAE.

1. Allata propositio ordine secunda est in Mastrofinii Dissertatione : qua is confestim de via, quam alii triverant, se deflexisse demonstrat. Possibile quippe Philosophi omnes id intellexerunt semper, quod nullam in suis notis essentialibus contradictionem praesefert, id est quod non repugnat, ut extrinseca Causa accedente, existentiam obtinere queat. Quapropter possibile in suo conceptu existentiam non includit, sed solam non repugnantiam ad existendum. Mastrofinius e contra aliam possibilibus notionem appingit, quin hac de re lectorem, prout Philosophi munus est, quidquam ante monuerit, ea extra nihilum reperiri affirmans. At si extra nihilum reperiuntur possibilia omnia, eadem ergo existere dicenda sunt; nihil enim est medii inter nihilum, et existentiam; ergo haud possibilia amplius, sed erunt existentia. Sed hic forsitan quis oggeret, possibilia hoc in loco dici a Mastrofinio reperiri extra nihilum, ut ajunt, *essentiae*, quatenus nempe impossibilia non sunt : non vero extra nihilum *existentiae*, nimirum non quatenus reapse existant. Ast quod possibilia omnia revera extra nihilum existentiae reperiri, hoc est, vere realiterque existere, Mastrofinius doceat, extra dubitationis aleam ponit propositio, quae sequitur, tertia ordine.

PROPOSITIO II.

„ *Dici nequit, possibilia extra nihilum reperiri, eo quod in sua tantum possibilitate maneant. . . . . Sed quia singula adjunctum habent locum existentem, nempe quia singula in existentia manent etiam, quacumque tandem ratione id accidat, extra nihilum hospitantur* „. (§. XXIV. pag. 18. et 19.).

NOTAE.

2. Affirmat haec propositio, possibilia omnia nedum extra nihilum existentiae reperiri, id est vere realiterque existere; sed existere praeterea locum, ubi ipsa degant, realem. Sed quid, quaeso, erunt tandem ejusmodi possibilia? possibilium nomine nonnisi simplicia entia, seu elementa materiae intelligit Mastrofinius, ut ex infra dicendis patebit uberius. Porro vocat ea possibilia, quia in potentia sunt ad modificationes diversas, variasque formas induendas. Sed a quonam existentiam possibilia isthaec acceperunt? Ecquis locum, qui ea caperet, creavit? Erunt ne possibilia haec increata, aeterna, improducta? . . . . Increatus item, aeternus, improductusque eorundem locus? . . . . Silet hic Auctor, et nulla prius, de Deo, deque creatione, facta memoria, possibilia omnia extra nihilum reperiri, realeque spatium, quod eadem complectatur, existere, simpliciter enunciat, atque ex praejactis hisce propositionibus, tamquam ex principiis, ad entis necessarii existentiam a priori, ut loquitur, concludendam tandem delabitur. Verum ecquis, nisi sit plane plumbeus, non in suspicionem adducetur, Epicuri somnia, caeterorumque Materialistarum deliramenta per Mastrofinium in scaenam denuo vocari, illorumque doctrinam nova indutam facie nobis obtendi? Utraque igitur propositio de Materialismo, atque Pantheismo vehementer suspecta existimanda est.

PROPOSITIO III.

„ *Nomine immensitatis hic intelligo eam Entis unius proprietatem, per* „ *quam ubique substantialiter adsit, ac ubique totum* „. (§. XLV. pag. 24.).

NOTAE.

3. Quamquam propositio ista, quae continet divinae immensitatis definitionem, trahi in bonam partem valeret; ex serie nihilominus textuque orationis, aequivoca ad minimum putanda est; videtur siquidem ea insinuari, Spatium mundanum a Dei immensitate nequaquam secerni, prout illud minime ab hac distinxerunt Raphson, Morus, Newtonus, Clarkius, aliique, de Anglia potissimum Philosophi, arbitrantes, in Spatio, cui veram actualitatem tribuebant, Dei immensitatem sitam esse: quod oppido falsum est. Nam cum immensitas sit Dei proprietas interna, necessaria, eique a tota aeternitate, antequam res ulla crearetur, conveniens, perinde ac convenit eidem aeternitas ipsa; hinc quemadmodum in sua aeternitate Deus ante tempus quodcumque reale extitit: ita vere in sua immensitate extra omnem spatii realis ambitum extitit. Vero igitur sensu dici nequit, Deum in spatio reali existere, cum spatium reale, prout Phi-

losophi ostendunt, necessario finitum sit oporteat; sed rectius dici debet, existere Deum in seipso seu in immensitate sua, quae nullo creatorum Entium finito spatio concludi potest. Distinguenda est igitur Immensitas ab omnipraesentia; quia haec praedicatum est contingens, Deo liberum, ipsique post rerum effectionem ex nihilo, adveniens. Neque tamen exinde quis concludat, mutationem idcirco in Deo factam esse. Nam mutatio non in Deo accidit, sed in rebus extra Deum existentibus, quae ex non existentibus existentes factae sunt; hinc respectu rerum existentium Deus vocatus est praesens, quo ante creationem nomine non gaudebat. Ex hac doctrina concludere licet, ante mundi creationem, Deum dici Omnipraesentem minime potuisse, quemadmodum neque creator dici poterat, neque Dominus; siquidem, ut docet B. Thomas (*a*) „ *nomina illa, quae relationem ad creaturam important, ex tempore de Deo* „ *dicuntur, et non ab aeterno; non propter aliquam mutationem ipsius* (Dei), „ *sed propter Creaturae mutationem: sicut columna fit dextra animali, nulla mutatione circa ipsam existente, sed animali translato* „. Male igitur Mastrofinius immensitatem Dei appellat proprietatem ejusmodi, per quam ubique substantialiter adsit; cum etenim *ubique* illud, quod nonnisi reale Spatium significare potest, ante mundi creationem non existeret, dici recte non valet, eidem *ubique* Deum substantialiter adfuisse. Suspicionem itaque nobis ingerit Auctor se mundanum Spatium ab Dei immensitate minime distinxisse. Id quod magis palam fiet ex sequentibus propositionibus.

PROPOSITIO IV.

„ *Ante Mundum conditum, Ens necessarium ipsum sibi Mundus erat,* „ *extensio, ac locus* „. (§. XLVI. pag. 24.).

PROPOSITIO V.

„ *In principio ipsa Entis necessarii existentia, utpotequae modificationibus impervia, ipsa constituebat ubique illud* „. (§. eod.).

PROPOSITIO VI.

„ *Cum ventum est ad Mundi creationem, terra, et Caelum in ubique isto* „ *(quod integrum ubique erat) collocata sunt* „. (§. eodem.).

(a) 1. *p. q. XIII. a. 7. in Corp.*

PROPOSITIO VII.

„ *Cum Spatium, nonnisi stulte ab ipsa corporearum rerum coëxistentia, „ atque ordine distinguatur; cum rebus ipsis illud simul etiam in Ente ne„ cessario continebitur* „. (§. eod.).

PROPOSITIO VIII.

„ *Non ergo per Mundi creationem, aut spatium ullum veri nominis va„ cuum invectum est, aut extensio subito ulla diffudit se, per quam dein„ de necessarium Ens explicaretur* „. (§. eod.).

PROPOSITIO IX.

„ *Nunquam aut Mundus aut Spatium extitissent, nisi in hujus (Entis ne„ cessarii) immensitate* „. (§. eodem).

NOTAE.

4. Cum recensitis propositionibus affirmetur 1. Ens necessarium, antequam Mundi molitionem aggrederetur, sibi et Mundum fuisse, et extensionem, et locum: 2. Entis necessarii existentiam constituisse ubique illud, idest Spatium: 3. Caelum terramque, cum crearentur, in ubique isto, nempe in Entis necessarii existentia, collocata fuisse: 4. Spatium ipsum una cum creatis rebus contineri in Ente necessario: 5. nullum veri nominis spatium, extensionemque nullam, per creationem, invecta esse, cum antea peraeque extitissent: ac 6. tandem nunquam aut Mundum, aut Spatium, nisi in Entis necessarii immensitate, extitura fuisse; praeterquam quod eae novitatem periculi plenam praeseferunt, nemo, ut reor, qui utitur ratione, non extemplo perspiciet, easdem dicendi formas fuligine Pantheismi tinctas undequaque esse. Id quod ex sequentibus propositionibus magis adhuc, magisque patescet.

PROPOSITIO X.

„ *Ens necessarium est tota possibilitas* „. (§. LII. pag. 27.).

PROPOSITIO XI.

„ *Ens necessarium est universum possibile* „. (§. LIII.).

NOTAE.

5. Hae duae propositiones, quae in idem recidunt, damnandae primitus omnino videntur, ob novas, nullique alii antea usurpatas, quas praeseferunt, de Deo loquendi formulas. Sed haec in his minor querela est.

6. Phanteismi praeterea venenum occulere mihi videntur. Universum namque possibile, ac tota possibilitas idem exprimunt, quod *possibilia omnia*. Atqui vero possibilia omnia et revera existere ponit (*a*) Mastrofinius, et adjunctum habere locum existentem, quo contineantur (*b*), docet. Quapropter appellare Deum *Universum* possibile, perinde est, atque Eum *universum existens* dicere: et *totam possibilitatem* eundem nominare, non est aliud, nisi Eum cum hac existente rerum Universitate confundere. Audire Catholicae hoc aures expavescunt; et nihilominus haec doctrina est, quae non obscure ex dissertatione Mastrofinii hauritur. Quod si ex superioribus aliquid adhuc dubii superesse videatur; ex aliis illud, quas statim subjiciam, propositionibus, omnino dispelletur.

PROPOSITIO XII.

„ *Actuare Ens aliquod non est aliud quidpiam, nisi actuare proprieta-* „ *tes ejusdem, ut maxime generice sumptas, conjunctas cum specificis, ta-* „ *men uno eodemque actu* „. (§. LXVIII. pag. 30.).

NOTAE.

7. Recensita propositio probatio est alterius, qua Auctor affirmat, in *Ente necessario vim inesse creatricem*, et majoris locum habet in syllogismo; nam ita prosequitur minorem propositionem: „ Porro in Ente necessa- „ rio vis inest, qua semetipsum actuet (§. 66.) „ Ac ita concludit: „ Igitur in „ Ente necessario vis inest, qua suas proprietates, ut maxime generice sum- „ ptas actuet, conjunctas cum specificis, tamen uno eodemque actu „. Atque „ duobus aliis interjectis ejusdem furfuris argumentis, ita ultimo concludit: „ Ergo Ens necessarium vi creatrice praeditum erit „. Jam propositio ejusmodi vel ex eo dumtaxat meretur censura inuri, quod nova hactenus, atque inaudita loquendi ratione, eaque vaferrima, concepta sit. Sed praeterea virus pantheisticum, si quid capio, si quid sapio, undequaque redolet. Si enim vis creatrix in Deo non sit aliud juxta Mastrofinium, quam actuare proprietates suas generice sumptas cum specificis suimetipsius proprietatibus conjunctas uno

(a) *proposit. I.* (b) *proposit. II.*

eodemque actu; ergo creandi vis in Deo non est, nisi vis limitandi perfectiones suas, easque modificandi; ergo creaturae non sunt, nisi specificae ipsius Dei proprietates, hoc est modificationes, ac limitationes proprietatum divinarum; ergo si vis illa, qua tum Entis necessarii, tum Creaturarum existentia actuatur, uno eodemque actu impenditur, una similiter, eademque est Entis necessarii, et contingentium existentia; ergo una est in Mundo substantia existens, cujus creaturae non sunt, nisi specificae proprietates, hoc est *limitationes*, et *particulae*. Nae Spinoza clarius sensa sua non expressit.

PROPOSITIO XIII.

„ *Vim creatricem essentiarum voco illam, per quam possibilia vel distin-*
„ *guuntur et combinantur, vel si disctincta fuerint, combinantur* „ .
(§. LXXXIII. pag. 33.).

NOTAE.

8. Ita Mastrofinius vim Essentiarum creatricem definit, eamque Deo (*a*) attribuit. Ergo cum Deus reales contingentium essentias creat, non eas amplius ex *nihilo sui*, *et subjecti* educit, ut Avi nostri boni semper crediderunt, et docuerunt; sed ut novellus Doctor ex tripode pronunciat, cum ejusmodi Essentias creat Deus, id solum praestat, nimirum possibilia jam existentia aut distinguit, si in unum conglobata sunt; vel, si sunt ab invicem distincta, eadem simul combinat. O frontem hominum! Sed pergamus, et absurdiora videbimus.

PROPOSITIO XIV.

„ *Vis creatrix essentiarum operatur, nempe exerit actum sui proprium*
„ *si perfectiones ipsius Entis necessarii limitato modo accipiat ac simul com-*
„ *binet* „ . (§. LXXXV. pag. 34.).

PROPOSITIO XV.

„ *Itaque Essentiae rerum contingentium creantur, si perfectiones Entis ne-*
„ *cessari limitato modo accipiantur* „ . (§. LXXXVI. pag. 34.).

PROPOSITIO XVI.

„ *Vis creatrix Essentiarum, si limitato modo accipiat, combinetque per-*

(a) §. *LXXXIV.*

„ *fectiones Entis hujus illimitatas, jam tum essentiae procreantur contingen-* „ *tium rerum quarumcumque* „. (§. eodem).

PROPOSITIO XVII.

„ *Cum essentiae primigeniae ex nulla oriantur aliarum essentiarum se-* „ *cundarum combinatione, immediate creantur ex limitatione perfectionum* „ *pertinentium ad ipsum Ens necessarium, Ens videlicet omnium simplicis-* „ *simum* „. (§. LXXXVIII. pag. 35.).

PROPOSITIO XVIII.

„ *Cum Essentiae primigeniae nihil sint aliud, quam limitatio proprieta-* „ *tum simplicissimam necessarii Entis essentiam, constituentium; neque ef-* „ *formare illae poterunt, nisi essentiam alterius Entis omnino simplicis* „ (§. eodem).

PROPOSITIO XIX.

„ *Primigeniae Essentiae, quae immediate ex limitatione petuntur perfe-* „ *ctionum ad Ens necessarium pertinentium, esse nequibunt, nisi Entium* „ *simplicium essentiae* „. (§. eodem).

PROPOSITIO XX.

„ *Qua ex veritate sponte sua fluit, compositorum, nostrorumque simul* „ *corporum elementa simplicia esse* „. (§. eodem).

PROPOSITIO XXI.

„ *Constat itaque a priori de corporeorum elementorum simplicitate* „ : (§. eodem).

PROPOSITIO XXII.

„ *Quamquam vero Corporum, sive compositorum Entium essentiae ex* „ *divina etiam essentia hauriantur; non inde tamen sequitur fore illa pa-* „ *riter simplicia. Istorum siquidem essentia cum aliorum contingentium, ex* „ *quibus contexitur, possibilitatem involvat; non immediate illa quidem ex* „ *divina Essentia petitur, vel eruitur. Inde autem compositio corporum pro-*

„ *ficiscitur non secus, ac figura in triangulis, quorum essentia, nonnisi me-*
„ *diate, ex linea infinita oritur*„. (§. eodem).

NOTAE.

9. Omnes hae propositiones non indigent commentatione, cum luce clarius Spinozae Systema, quam quam aliis delineatum vocabulis, integrum exhibeant. Quis namque Mastrofinium audiens docentem, vim illam actuosam, quae Ens necessarium actuat, essentias creare rerum quarumlibet contingentium, cum ipsius Entis necessarii Essentiam limitatis accipit modis, illamque multijuga ratione modificat, combinatque, ut adeo omnino omnia, ac singula entia contingentia haudquaquam sint aliud, quam limitationes, combinationes, modificationesque Essentiae ipsiusmet Entis necessarii, hoc tantum interjecto discrimine, ut primae quidem limitationes divinae Essentiae, dicantur substantiae primigeniae, atque simplices, quales sunt corporum omnium elementa: secundae vero limitationes, quae ex prioribus emergunt, derivatae compositaeque substantiae vocentur, cujusmodi sunt corpora quaecumque: primaeque praeterea essentiae petantur, atque hauriantur *immediate* ex Dei Essentia, nimirum non sint, nisi divina ipsamet Essentia immediate limitata atque modificata: posteriores autem ex eadem Essentia profiscicantur mediate, seu sint divina eadem Essentia, mediis priorum combinationibus, modificata, ac limitata: ea omnino ratione, qua finitae lineae ex limitatione lineae infinitae immediate emergunt, seu sunt ipsa infinita linea immediate limitata: triangula vero, quadrilatera, caeteraeque figurae ex infinita linea nonnisi mediate enascuntur, seu ipsissima sunt linea infinita, mediate, hoc est mediis finitarum linearum combinationibus, limitata; Quis, inquam, hanc Mastrofinii doctrinam auscultans, aut legens, non sibi videatur Spinozam ipsum redivivum audire, vel legere docentem, unicam tantum in rerum natura existere substantiam, cui veluti attributa insunt extensio, et cogitatio, ita ut res caeterae non sint, nisi attributorum illorum modificationes, corpora nimirum, modi extensionis infinitae: animae vero modificationes infinitae cogitationis? Proh Deum! qualia horribilia! In tanta scientiarum luce, in tam rutilanti splendore veritatis, rancida jam, obsoleta, ac putentia Epicureorum, et Pantheistarum deliramenta, tanquam nova inventa, et magnae sapientiae fructus nobis, nova fallendi arte, proponuntur, et quod est longe miserrimum, proponuntur a Viro, qui degit inter Catholicos, et Catholicum se palam protestatur! Quis? quis a lacrymis temperare valcat, a questubusque cessare?

PROPOSITIONES EX MARCI MASTROFINI SUBLIMIORI METAPHYSICA EXCERPTAE.

PROPOSITIO XXIII.

„ *Essentiae vocabulo intelligo primum id, quod in re quapiam concipitur,* „ *et ex quo ratio reddi potest reliquarum proprietatum, quae in eadem re sunt,* „ *aut esse possunt* „ . (§. 2. pag. 1.).

NOTAE.

10. Propositio ista definitionem continet Essentiae non realis, sed metaphysicae, et generatim acceptae, quae aptari potest rei cuicumque: quae quidem Essentia non in re, de qua agitur, reperitur, sed existit duntaxat in mente nostra; quae cum ob sui imbecillitatem, realem essentiam ut plurimum ignoret, in proprietatibus illis, quas priores aliis in re esse, et ex quibus caeteras profluere concipit, metaphysicam Essentiam collocat; quamvis haud raro contingat, ut proprietates eae, in quibus Essentiam metaphysicam sitam esse mens concipit, non sint vere, et a parte rei, primae proprietates, et ab aliis independentes, nec vere Essentiam constituant. Porro quam ob rem Mastrofinius, qui non Ontologicum, qui universalia scientiarum principia tradat, sed Theologum hic agit, hoc est, de Deo, re scilicet singulari, et individua pertractat, a caeterorum Theologorum agendi ratione desiliens, Essentiam generatim acceptam tamtummodo atque abstractam usurpet, mysterio non vacat. Vere ne de Dei Essentia agit, an vero rei alterius? Dubitationem oggerit sequens propositio, quae definitionis Essentiae generatim acceptae consectaria est.

PROPOSITIO XXIV.

„ *Porro ex his colligo, simplicium Entium Essentiam constitui unquam* „ *non posse in peculiari modo vel forma quacumque horum existentiam afficientibus, vel terminantibus* „ . (§. 4. pag. 2.).

NOTAE.

11. Si de Deo hic agitur, quid Mastrofinio intererat de Entibus simplicibus, seu materiae elementis verba interserere, ad horumque essentiam significandam, suam de Essentia generatim accepta definitionem contrahere, et applicare? Ut quid de simplicibus elementis ejusmodi, perinde atque si de iis ex instituto pertractaret, in toto Opere suo, uti illud volventi patebit, frequentissime mentionem infert? Immo eccur simplicium Entium eorundem, quibus et vim quandam agendi essentialem tribuit (*a*), in suo opere maxime eum interesse affirmat? Quid haec inter elementa, quae non hujus sunt provinciae, et Deum, de quo se agere confitetur, relationis intercedit, ut cum de hoc pertractet, continuo illa prae oculis habere debeat? Nunquid ex hisce Auctoris principiis praestitutis, omnino perperam quis suspicabitur, hoc in opere non utique de Deo, sed de materiae elementis sermonem institui videri? Si culpam esse, nos tam male de Metaphysica subliminori suspicari Auctor ipsius arbitretur, sibi imputet, cum suo illo disserendi genere, expolito quidem, atque pereleganti, sed sinuoso tamen, involuto, aequivocationibusque referto, causam ipse praebuerit ita suspicandi. Oportebat siquidem eundem, ut suspicionibus aditum omnem praecluderet, aperte, candide, exacteque rem agere, nec ab instituto suo, tam multa ad illud non pertinentia interserendo, deflectere. Sed tantum abest, ut ab his nos suspicionibus liberet, quin auget potius, aggeritque, ut ex sequentibus propositionibus palam fiet.

PROPOSITIO XXV.

„ *Recentiores Philosophi, Aristotelem imitati, definire solent naturam corporum, tanquam ea sit principium actionis, et passionum, quae in corpore contingunt* „. (§. 7. pag. 3.).

PROPOSITIO XXVI.

„ *Addunt autem naturam generatim acceptam, quoque ipsam esse principium aut vim Mundo insitam, per quam explicari queant singulatim tam actiones, quam passiones in hac evenientes rerum universitate..... attamen principium hoc, ut opportune Wolphius admonet, minime putandum est ab ipso Mundo discretum, vel quomodocumque diversum* „. (§. eod.).

(a) §. 9.

NOTAE.

12. Quorsum ista, ut, dum de Dei natura hic disseritur, tum de natura Corporum speciatim, tum generatim de natura creata, idest, de Mundo, definitiones nobis exhibeantur? Quid de Mundi, Corporumque natura, nostra hic interest? Nimirum (pergit Mastrofinius): „ Ut haec definitio (de natura scilicet creata generatim) dirigatur eo „ quo volumus, usumque sui praebeat diviuis in rebus; cogitandum est animo, passionem posse nullam in Deum incurrere; imo nec externum quidvis „ eidem accidere, et adhaerescere „. Ergo posset exinde quis, exiguo licet polleret ingenio, hanc elicere conclusionem: Allatam scilicet de Mundo definitionem ab Auctore traditam, ad naturam Dei significandam, dempto tantum uno passionum vocabulo, transferri posse, eamque appellari – Vim insitam Mundo, non tamen a Mundo ipso discretam vel quomodocumque diversam, per quam explicari possint singulatim actiones, quae in hac rerum universitate eveniunt –. Qualis disserendi vafricia!

13. Non me latet, ab Auctore paullo infra Naturam Divinam definiri " ut ea sit principium actionis divinae „; verum praeterquam quod definitio isthaec et ipsa aequivoca est, ac suspicionem, quam paullo ante Auctor nobis ingessit de se malam, nequaquam dispellit: si revera de natura illa Dei perfectissima, et singulari eam tradiderit definitionem, quid opus erat, iterum (*a*) de natura generatim sermonem contexere, eamque vocare modo " principium actionum eliciendarum „ nunc " scatebram operationum, „ modo etiam " promptuarium, unde manant actiones „? Quid habebat necesse (*b*) de Entium simplicium, hoc est materiae elementorum natura crambem recoquere " eamque non posse unquam agendi proprietate carere, sed actionum promendarum facultate gaudere sibi propria „ tam asseveranter affirmare, ut adeo „ is qui substantias „ has simplices (hoc est elementa materiae) velit concipere ut existentia praeditas, orbatas vi tamen actionum edendarum, enitatur prorsus, ut valeat eas „ concipere simul tamquam existentes, ac minime existentes, cum substantiae „ simplices vi qualibet expoliatae, putandae sunt mortuae, hoc est, in nihilum redactae „? Quid tandem intererat de Corporibus rursus effari, et pro certo assumere „ ne ea quidem carere vi qualibet posse, cum in his, elementorum, ut pote Entium simplicium, ex quibus corpora eadem coalescunt, „ subesse vires debeant, quae agant in se se invicem, pro illorum multitudine, proximitate, atque conditione? „ Vides, quantam in semetipsum, Metaphysicae Sublimioris Parens, hocce disserendi genere, Materialismi, atque Pantheismi suspicionem importet!

(a) §. 8. (b) §. 9.

14. Caeterum, etsi dare vellem (quod concedi tamen non posse videtur), Mastrofinium eo in loco de Dei natura revera definitionem tradere; erroris nihilominus suspicionem minime esset evasurus. Nam is fateri mecum debet, hic non agi de Dei operationibus, ut ajunt, *ad extra*, de quibus non controvertitur, cum non de Creatione pertractetur; sed de operationibus ad *intra*, de quibus dumtaxat quaeritur, quia agitur de Trinitate. Jam etsi concedatur, divinam naturam principium esse *quo*, ut ajunt, remotum divinarum internarum operationum, quia in ea ceu in radice principium *quo* proximum continetur, atque hocce tantummodo sensu verum esse, divinam Naturam divinae operationis principium esse; principium tamen *quo* proximum non est ipsamet divina natura, prout faecunda, et infinita est, ut Durandus arbitratus est, qui idcirco ab omnibus jure reprehenditur, quia in hac ipsius sententia aegerrime salvari potest illa Fidei veritas, qua decernitur (*a*) „ Substantiam, essentiam, „ seu naturam divinam non esse generantem, neque genitam, neque procedentem; sed esse Patrem, qui generat, Filium, qui generatur, et Spiritum Sanctum, qui procedit, ut distinctiones sint in Personis, et unitas in natura „; et ex hac ipsa Ecclesiae definitione patet, principium *quod* divinarum operationum esse Personam Patris respectu Filii, Personas Patris Filiique respectu Sancti Spiritus. Jam vero absolute, simpliciter, et omnimode affirmare, divinam naturam esse principium operationis divinae, id perinde esse videtur, atque adversus Fidei veritatem, erroris suspicionem incurrere, cum supponi videatur, naturam divinam generare, gigni, ac procedere: id quod expressae Fidei definitioni adversatur.

PROPOSITIO XXVII.

„ *Divinae Trinitatis cognitio minime putanda est supra rationem esse:* „ *nempe vere Trinitas ostendi potest* „. (§. 91. pag. 41.).

NOTAE.

15. Principio isthaec propositio communi Theologorum sententiae adversatur, qui docent, SSmum Trinitatis Mysterium esse supra rationem, nec consequenter necessariis rationibus, fide quoque supposita, demonstrari valere, sed tantum illud concedunt, posse videlicet, revelatione praeeunte, probabilibus argumentis quibusdam, similitudinibusque illustrari, ac suaderi, cunctaque sophismata, quae contra ipsum ab impiis hominibus sunt excogitata, vel excogitabuntur, ope rationis excultae fide, extricari posse, atque dispelli. Deinde

(a) *Conc. Later. IV. de Summa Trin. cap. 2. Damnamus.*

Altissimo huic Mysterio videtur eadem propositio plurimum detrahere, cum id inter earum rerum, quae naturali ratione demonstrantur, ejusque vim non excedunt, sphaeram collocet. Catechismi Romani praeterea doctrinae non videtur omnino consentanea, cum ibi (a) doceatur, Mysterium Trinitatis esse " magis reconditum, et abstrusum (quam caetera mysteria) quodque humanam rationem, et intelligentiam non consequi, aut ne suspicari quidem potuisse ": quod de tanto Mysterio dici recte nequiret, si vi rationis humanae, etiam fidei facem praeferente, vere, ut Mastrofinius contendit, valeret ostendi. Insuper de errore suspecta dici potest, cum pluribus hac de re ab Apostolica Sede damnatis propositionibus favere videatur. Tandem absurda quoque habenda est propositio ejusmodi; impossibile quippe est, ut ratio humana, quae arctis nimium cancellis concluditur, eo se attollat, ut relationem convenientiae, quae intercedit unitatem divinae Naturae in Deo, atque Personarum Trinitatem, clare, evidenter, ac intuitive percipere potis sit; id siquidem perinde foret, ac finita mensura rem omnimodis infinitam dimetiri velle praesumere.

PROPOSITIONES EX PRIMA DEMONSTRATIONE MASTROFINIANA DE TRINITATIS EXISTENTIA.

PROPOSITIO XXVIII.

" *Principium aliquod intrinsecum quidem, sed proprium, formale, verum, non eminens, admittendum est, unde explicari possit, cur Deus existat* ". (§. 236., et 240. pag. 113., et 115.).

NOTAE.

16. Haec propositio primum fundamentum est, super quod primam de Trinitate demonstrationem Auctor exaedificat, cuique etiam duae reliquae, quae priorem ordine consequuntur, demonstrationes incumbunt. Verumtamen is errat ab utero, et ab initio loquitur falsa. Quandoquidem falsa, imo et absurda censenda est propositio isthaec primigenia, ac Fidei quoque vehementer adver-

(a) *part. 1. art. 1. §. XI. edit. Bruxell. 1700.*

sa. Ratio namque, fidesque nos docent, Deum esse Spiritum omnino perfectissimum, ac simplicissimum. Jam si subesse debeat principium anterius, ex quo petenda sit ratio, cur Deus existat; neque amplius erit Deus omnino perfectissimus, neque simplicissimus: non omnino quidem perfectissimus, quia concipi Ens valet illo perfectius, quod existentiae suae rationem in se habeat, neque principium ullum recognoscat, ex quo ejus consequatur existentia: non porro simplicissimus, cum in eo aliqua sit compositio necessario admittenda, saltim ea, quae ex potentia, et actu exurgit, adeoque ne erit quidem actus purissimus, ut tota, quanta est, Philosophia, et Theologia docet. Deinde Deum non esse primum principium fateri debebimus, cum anterius Principium, a quo tanquam effectus, ejusdem existentia fluit, agnoscat: quo quid absurdius excogitari valeat, prorsus non video; manifeste quippe Fidei et rationi contradicit, quibus instruimur, Deum esse absolute primum omnium principium, nihilque prorsus ejus existentiam praecedere, et anteire.

17. At nihilominus in sententia sua perstat Mastrofinius, rem certissimam esse affirmans *(a)* „ principium ejusmodi admitti oportere. Secus enim ex nihilo „ petenda foret ratio, ut ajunt, sufficiens, per quam Deus existit: Quod tan„ ti est, ac dicere, Deum ita esse nihilum, quemadmodum nihil est id, un„ de ejus proficiscitur, et conflatur existentia „. Sed futilis est omnino ejusmodi Auctoris instantia; quandoquidem cum Dei existentia ab ipsius Essentia nequaquam distinguatur, sitque ipsamet Essentia realiter existens, ut recta ratio, et fides nos admonent; sufficientem sui rationem in se habet, quia a se existit, estque omnino independens. Et sane, quemadmodum principium, quod Auctor comminiscitur, nullum aliud anterius principium recognoscit, in quo sui rationem contineat, cum in sese eam habeat: secus processus in infinitum foret admittendus, quod repugnat; pari ratione Dei existentia, quae non est, nisi ipsissima vere realiterque existens Essentia, in seipsa, non in alio quovis anteriori Principio, sufficientem sui rationem habebit. Hinc illa Dei Moysen alloquentis vox *(b)* " Ego Sum, qui Sum „.

18. Possem et alia bene multa falsa, ac erronea consectaria deducere ex ista propositione, ex qua Auctor „ totius suae disputationis robur mutuatur, col„ ligitque dignitatem „; sed brevitatis ergo haec praetereo. Illud tamen praeterire non valeo, allatam videlicet propositionem Pantheismi, ac Materialismi suspicione minime carere; propterea quod principium, quod admittendum contendit Mastrofinius, tamquam id ex quo proficiscatur, atque conficetur Dei existentia, appellat non eminens, quod ferri posset, sed formale, proprium, verum. Jam quem latet, formale quoque in corporeis Entibus principium re-

(a) §. 236. *pag.* 113.

(b) *Exod.* 3., 14.

periri? Fortene ejusmodi principium constituent Entia simplicia, seu elementa materiae, unde Corporum proficiscuntur, et conflantur existentiae? Qui animo cogitat et quae notavimus hactenus, et quae posthac dicentur, haud praecipitem esse suspicionem hanc arbitrabitur. Vides, cujus pretii, ac vis futurae sint de existentia Trinitatis demonstrationes Mastrofinianae, cum fundamentum primum, quo illae totae fulciuntur, falsum sit, ac undequaque labascat.

PROPOSITIO XXIX.

„ *Deus, et nihilum sibi invicem opponuntur, quantopere opponi possunt,* „ *nempe sibi mutuo contradicunt* „. (§. 239. pag. 114.).

NOTAE.

19. Propositio ejusmodi propositionis proxime praecedentis est altera probatio: quam, ut in animis legentium altius insculpat, paucis interjectis, Auctor repetit, aliis quidem vocibus, sed eundem omnino sensum exprimentibus: „ Quare, inquiens, Deus, et Nihilum opponuntur sibi invicem oppositionis „ genere illo, ex quo contradictio constituitur „. Ex propositione eadem ita rationes colligit: „ Jam vero nihili nullum est principium, quemadmodum nul- „ la proprietas, neque adfectio est, neque formalis, neque eminens, ut Scho- „ lae loquuntur. Ergo putandum e contra est, subesse principium, cur Deus „ existat „. Ast primo non video, qua ratione, ex quo nullum nihili principium est, nullaque proprietas et affectio seu eminens, seu formalis, consequi valeat, subesse principium, cur Deus existat. Cum potius nihili nullum principium, neque proprietas ulla, aut affectio sit, nempe cum nihilum sit omnis entitatis negatio; haec altera videretur inde directius elicienda conclusio – Ergo putandum est ex adverso, Deum esse primum omnium principium, a nullo prorsus dependens, utpote Ens ejusmodi, ut eo majus nihil, perfectiusque valeat excogitari: secus majus eodem aliquid, atque perfectius futurum esset, si principium haberet existentiae, et contradictionis oppositio inter ipsum Deum, et nihilum minime adesset, ut vult Mastrofinius, quia ei deforet maxima ista perfectio, esse nimirum primum principium, nullumque aliud, a quo ejusdem existentia consequatur, ac veluti dependeat, principium agnoscere: in quo cum nihilo conveniret. Sed leviora sunt haec.

20. Illud porro maximopere perpendendum est, ea propositione, ut mihi videtur, totam Pantheismi doctrinam comprehendi, ac veluti coarctari. Enimvero cum contradictionis ea sit vis, ut omne prorsus medium excludat, quemadmodum Philosophis est exploratum; si Deum inter, ac nihilum, ut Ma-

strofinius affirmat, oppositio contradictionis intersit, consequens inde futurum est, ut inter Deum ipsum, nihilumque, medium nullum habeatur, hoc est, nihil, praeter Deum, existat, adeoque quidquid est aliquid, aut Deus sit, aut Dei attributum, vel ipsius modus. Et sane, cum nihilum negatio sit entitatis, seu rei cujuscumque; de nihilo nulla res affirmari potest, nulla entitas, quaecumque ea sit, sive spiritualis, sive corporea, sive substantia sit, sive accidens. Quoniam igitur nihilum, juxta hunc Auctorem, opponitur Deo oppositione omnium maxima, hoc est, ei contradicit; de Deo quaevis affirmari debebit res, seu entitas, sive substantia sit, sive modificatio, sive Corpus, sive Spiritus; adeoque Deus erit et Spiritus, et Corpus, et accidens, et substantia, verbo, erit omnia, et praeter Eum nihil erit omnino. Non est ovum ovo similius, uti allata Mastrofinii propositio: „ Deus, et nihilum sibi invicem opponuntur, quantopere opponi possunt, nempe sibi mutuo contradicunt „, simillima videtur huic alteri Spinozianae (*a*): „ Quicquid est, in Deo est, nihilque sine Deo esse, neque concipi potest; quia nempe Deus est unica, et omnis substantia, extra quam nihil dari potest, adeoque formaliter Deus omnia continet „. Quis ad haec non stupeat, et exhorrescat? At minime stupet Metaphysicae sublimioris Parens, neque exhorrescit, imo confirmare videtur consectaria illa, quae ex ejusdem propositione sponte veluti sua fluunt. Rationem namque interserens, quare Deus, et Nihilum mutuo sibi contradicant, ita effatur de Deo: „ Deus autem non modo exhaurit, inseque cohibet totam entis, ejusque partium amplitudinem; sed quoque ultra illam funditur infinitis intervallis „. Jam si Deus, juxta profanam hujus Auctoris loquendi rationem, *exhaurit*, ac insimul *cohibet*, hoc est apud se habet, atque constringit, ne a se sejungatur, *totam amplitudinem entis*, et *partium ejus*, si quoque ultra eandem *funditur*, seu spargitur *infinitis intervallis*; ergo Deus, et tota entis, ejusque partium amplitudo unumque idem sunt; ergo una est universalis substantia, ex qua, uti humores e corpore, quidquid est, aut fit, exhauritur, et a qua omnia utpote in ipsam refluentia, tanquam aquae a mari, cohibentur, refraenanturque; ergo, praeter Deum, nihil existit; quia inter Deum, et nihilum contradictionis intercedit oppositio.

21. Sed forte quis inquiet, a Mastrofinio affirmari, Deum exhaurire, in seque cohibere totam entis ejusque partium amplitudinem non formaliter, ut ajunt, sed eminenter tantummodo. Verumtamen exceptio haec parum cum juvat; quandoquidem primo has voces *formaliter*, *eminenter*, eodem sensu sumere ipse videtur; loquens enim de principio illo, ex quo consequi asserit divinam existentiam in Dei substantia, concludit (*b*) „ Principium eminens Di-

(a) *Ethic. prop.* 15. (b) §. 240., *pag.* 115.

„ vinae existentiae idem esse, atque formale „: quod si postea neget, idem principium appellandum esse *eminens*, id negat in sensu Scholasticorum, quos propterea insectatur, in eosque conflat invidiam, illos *hostes infensissimos* appellans: quod iterum argumento est, vocabulum *eminenter* ab ipso perinde accipi, ac vocabulum *formaliter*. Deinde quamvis inter utrumque distinguere videatur, et inesse in Deo formaliter dicat ea " quae vere in Deo sunt, et pro„ prie, ea e contra in Deo eminenter putet inesse, quae non sunt in Deo pro„ prie, sed vicem supplent rerum proprie acceptarum „; nihilominus doctrinam suam malam ubique patefacit; nam explicans qua ratione Corpus insit in Deo *eminenter*, ita fatur „ Ex: cau: corpus eminenter inest in Deo, quia hic loca „ omnia complexu suo circumambit; quod vicem sustinet corporeae alterius „ crassaeque extensionis; vel quia vim continet fabricandorum corporum „. Si bona fide rem agere Auctor voluisset, a castigata caeterorum Theologorum loquendi ratione haud excessisset, sed simpliciter cum iisdem pronunciasset; corpus in Deo contineri eminenter, quia vim habet infinitam Deus, corpora quaelibet e nihilo creandi, et perfectionem in se continet qualibet, quae in Corporibus inest, perfectione, infinite praecellentiorem. Dum ergo, relicta, in re tanti momenti, simplicitate loquendi, quae Catholicis maxime cordi esse debet, novas, ambiguas, subdolasque adhibet dicendi formas, quid aliud praestat, quam Pantheismi suspicionem, quam de ipsius opere concepimus, aggerere magis, magisque roborare?

PROPOSITIO XXX.

„ *Principium, in quo posita est ratio, cur Deus existat, est existens in* „ *sese, et per se, habet proinde peculiarem quemdam modum existendi* „. (§. 244., et 246. pag. 117., et 118.).

NOTAE.

22. Propositio haec, quam Auctor alio quoque modo effert, nempe: " Deus „ existentiam suam habet, ac retinet ope intrinseci principii et existentis „, obscurissima est, et quemadmodum Auctor ipse non diffitetur (*a*) " arcani novique aliquid praesefert „: ob idque solum, quae ut rejiciatur, reprobeturque, dignissima est. Sed et contradictoria quoque videtur; nam ex ipsa consequitur, principium ejusmodi existere, antequam existat: existere quidem, ut Auctor affirmat: non existere autem, quia ex ipso provenit divina existen-

(a) 245. *pag.* 117.

tia, quae ipso principio posterior est, cum ex eo proficiscatur, atque conflетur; adeoque existere ipsum simul, et non existere: quod plane repugnat. Vides qualem Altissimo, penitissimoque Trinitatis Mysterio lucem, ut sibi blanditur Auctor, affundat!

23. Praeterea ea pantheismi fuligine tincta videtur. Nam ut probet, Deum existere ope intrinseci principii et existentis, id exinde derivat, quod Creaturae existant ope extrinseci principii existentis; ita enim ratiocinatur (*a*): „ Existere ob intrinsecum principium, et existere ob extrinsecum principium „ duae sunt proprietates, quae invicem sibi ad contradictionem usque oppo- „ nuntur. Itaque genere oppositionis eodem sibi etiam opponentur ambae aliae „ istae proprietates: nempe existere ope intrinseci principii existentis, et existe- „ re ope extrinseci principii existentis. Jam vero creaturae singulae existunt „ ope extrinseci principii existentis, cum existentiam a Deo perceperint, qui „ existebat ante has universe, atque ab omni retro aeternitate. Ergo Deus „ existentiam suam habet, ac retinet ope intrinseci principii et existentis „. Jam quod in isto ratiocinio caussam praebet male suspicandi, profecto illud est: Creaturas nimirum existere ope extrinseci principii existentis; quamquam enim creatae res omnes, ut existerent, actione caussae creatricis eguerint, egeantque etiam, ut in existentia pergant, actione caussae conservantis; per propriam realem essentiam nihilominus existunt; adeoque existendi principium intrinsecum habent; per essentiam siquidem realem, quae iisdem intrinseca est, quamvis a liberrima Dei voluntate, ex nihilo omnino creata, sunt id quod sunt. Et ut exemplo aliquo rem clarius illustrem, quamvis Corpus quodcumque a Deo ex nihilo creatum sit, a nutuque pendeat divinae ejusdem voluntates, ut existere perseveret; attamen unumquodque Corporum realem propriamque essentiam habet, per quam est id quod est: quae quidem essentia est Corporibus ipsis intrinseca. Nunquid enim principia, ex quibus corpora formantur, caeteraeque affectiones, queis gaudent, extrinseca iisdem dicenda erunt? haudquaquam. Affirmare itaque absque ulla distinctionis ope, quae lucem affundat, creaturas existere ope principii extrinseci, et existentis, non porro est aliud, quam res evidentissimas tenebris obducere, animosque legentium fallere, ac irretire; nec non et in se, Auctorem, malae fidei, et insincerae suspicionem inferre. Et sane, si ratiocinatio Auctoris paullo attentius consideretur, non aliud ostendere videtur, quam tum Dei existentiam, tum existentiam Creaturarum consequi, et proficisci ex uno eodemque principio, hac sola interposita differentia, quod principium ejusmodi respectu existentiae Dei, *intrinsecum*; respectu vero existentiae Creaturarum, *extrinsecum* dicatur: id

(*a*) §. 244. *pag.* 117.

quod, uti patet, Pantheismum redolet: et congruit cum doctrina, quam antea in sua dissertatione (*a*) tradiderat, nimirum " Vim (hoc est principium), qua „ Entis necessarii existentia ponitur, ac vim creatricem (idest vim, qua existen- „ tia ponitur creaturarum), verbo, non autem re discrepare „ adeoque " vim, „ per quam Ens necessarium actu est, ac simul vim creatricem, unum idem- „ que esse „. Quod profecto tanti est, ac affirmare, tam Dei existentiae, quam existentiae creatorum entium unum idemque esse Principium. Vides quid sit animo reputandum de Metaphysica sublimiori, quae dum se extollit ipsam, perfectissimam Dei naturam deprimere videtur.

PROPOSITIO XXXI.

„ *Non tamen in principio hoc unico, ex quo divina pendet existentia,* „ *considerato, prout peculiarem habet, ac definitum existendi modum, non* „ *tamen, inquam, in hoc principio unico divina erit Essentia collocanda* „. (§. 250. pag. 121.).

NOTAE.

24. En novum arcanum, quod nobis aperit Metaphysica sublimior. Affirmatur ea propositione, Dei Essentiam collocandam non esse in ejusmodi principio, quatenus peculiarem habet existendi modum; ergo aliquod erit instans, in quo essentia sine existentia concipi in Deo valebit; adeoque pro eo instanti *potentialitatem* admittet: quae utique est imperfectio Enti omnino Simplici, ac perfectissimo repugnans. Deinde concipere Essentiam divinam absque existentia impossibile est; ratio porro est, quia divina Essentia non est aliud, nisi ipsa sua realis existentia, cum, ut docet B. Thomas (*b*) *idem sit in Deo essentia, et esse ipsius*; quandoquidem ipsa Essentia absolute omnino, et necessario est existens. Quapropter Essentiam Dei ab ejusdem existentia praecisam sumere, eidem divinae Essentiae plane repugnat. Sed in his minus peccatum est.

25. Aliud quidpiam horribilius, quod latet, patefaciam. Quod in hujusmodi principio considerato, quatenus peculiarem habet, ac definitum existendi modum, divina non sit Essentia statuenda, quanam demum ratione evincit Mastrofinius? " Nam, inquit, ut capite primo libri primi §. 4. demonstravi, sub- „ stantiarum simplicium essentia constitui nequit in modo, quo illarum affi- „ citur, vel terminatur existentia. Neque ergo principium, de quo loquor, „ intimum, et existens, ob peculiarem, quem habet existendi modum, ob hunc „ poterit Dei Essentiam constituere „. Jam si ratio, ob quam divina Essentia

(a) §§. *LXX. et LXXIV.*

(b) 1. *p. q.* 3. *art.* 4.

in hoc principio, prout peculiari gaudet existendi modo, ponenda non sit, ea est, quia videlicet neque Essentiam Entium simplicium, seu materiae elementorum, constituit modus ille, quo illorum afficitur, vel terminatur existentia; ecquis, rogo, perexigua quantumvis polleat vi rationis, non confestim, perspicueque colliget, Mastrofinium non de Dei, sed de simplicium Entium Essentia in sua Metaphysica, si superis placet, sublimiori, disserere? Nam si propterea in eo principio, quatenus peculiari existendi modo definitum est, Divina non sit Essentia collocanda, quia neque in entibus simplicibus, prout aliquo peculiari affecta sunt modo existendi, ac terminata, ipsorum Essentia collocanda est; apparet evidentissime, principium ejusmodi, de quo hic Auctor loquitur, cum elementis materiae, seu substantiis simplicibus, quas semper ob oculos legentium ponit, unam eandemque rem esse, ipsumque cum iisdem confundi omnino, penitusque misceri. Et re porro vera, si Mastrofinius vere de Dei, non de simplicium Entium Essentia in suo opere disputaret; ratio illa sua, qua ex eo, quod modus, quo Entium simplicium existentia saepitur, et circumcluditur, eorundem Essentiam minime ingrediatur, probat similiter, neque Essentiam divinam sitam esse in peculiari ipsius existendi modo; ratio, inquam, illa sua nullius prorsus momenti foret, neque robur ullum haberet; nam quae proportio, aut connexio ejusmodi inter Dei Essentiam, et Essentiam elementorum materiae reperiri, aut confingi unquam potest, ut ex horum Essentia ad essentiam illius aperiendam par omnino Mastrofinius transferat argumentum? Nonnihil mihi gratulari hic possum, quod suspiciones illae meae, quas de Metaphysicae sublimioris Pantheismo, dum praecedentes propositiones commentabar, patefeceram, novo fulciantur argumento, ac confirmentur. Jam clarius intelligo, cur Auctor, postquam (*a*) dixit, essentiam entium simplicium constitui unquam non posse in peculiari modo horum existentiam afficiente vel terminante, idque variis exemplis illustravit; velit magnopere, legentium insideat animis ejusmodi animadversio; " cum (rationem ejus assignat) non le-
„ vem ex ea fructum percepturi simus, dum eo loci (ad hunc videlicet, de
„ quo commentor) devenerimus, in quo de trium sit Essentia divinarum per-
„ sonarum decernendum „.

PROPOSITIO XXXII.

„ *Verum divinà est Essentia collocanda in principii hujus, de quo loquor,*
„ *existentia, prout haec generatim concipitur, non quatenus affecta est pe-*
„ *culiari modo, aut formâ existendi, nempe principi hujus existentia, prout*

(*a*) §. 4.

„ *incircumscripta respicitur*, *conditiones praesefert*, *ac tesseram divinae Es-*
„ *sentiae* „. (§. 251. pagin. 121.).

NOTAE.

26. Primo haec propositio, eadem, qua proxime praecedens, laborat insania; quippe quae divinam Essentiam praecisam, ac sejunctam ab existentia considerat, ac respicit: quod factu impossibile esse, ratio, fidesque clamant. Praeterea suspicionem magis, magisque injicit, quod hic Auctor non de Essentia Dei, sed de simplicium Entium Essentia disputationem habeat. Cum siquidem elementa materiae, prout diversimode complicantur, connectuntur, combinantur, disponuntur, varios quoque peculiares existendi modos suscipere valeant, ac retinere, cumque etsi unum ex ipsis, quicumque is sit, modum existendi necessario expostulent, sint nihilominus ii modi elementis ipsis minime essentiales, cum eadem unum prae alio suscipere peraeque possint, quin illorum pessum eat essentia; essentia haec eorundem poterit peroptime concipi, non considerato peculiari modo, quo illorum existentia affici possit, vel terminari. Quapropter dum Mastrofinius divinam Essentiam a peculiari existendi modo abstractam contemplatur; nomine divinae Essentiae nonnisi elementa materiae, prout, praeciso peculiari existendi modo, considerantur, intelligere videtur. Verum si de Dei Essentia, prout incircumscripta respicitur, Mastrofinius revera agat, quidnam tandem juxta tam sublimioris doctrinae Magistrum, erit isthaec Dei Essentia? Audiant omnes, et obstupescant.

PROPOSITIO XXXIII.

„ *Subjecta res haec vel existentia* (*scilicet divina Essentia*) *quatenus prae-*
„ *ciditur a peculiari existendi modo*, *quo Principium*, *de quo loquor*, *sae-*
„ *pitur*, *et circumcluditur*, *nullam retinet singularitatis notam*, *et involu-*
„ *crum*; *et idolum est quoddam commentitium*, *et vagum*, *quod juxta hu-*
„ *manum cogitandi morem existit*, *reipsa tamen non existit* „. (§. 252. pag. 121.).

NOTAE.

27. Ecce quo tandem evadit sublimioris Metaphysicae Scriptor, ut dum Trinitatis existentiam, naturali ratione fidei lumine roborata, adversus incredulos, demonstrare se jactat, Deum ipsum e medio tollere videatur? Et quidem, si divina Essentia, ut Auctor asserit, quatenus generatim, et incircumscripta respicitur, non aliud sit, quam idolum quoddam (ferant id tantisper

catholicae aures) commentitium , et vagum ; ergo , cum haec ipsa essentia , quemadmodum auctor ipse affirmat (a) „ prout quiddam est indefinitum , et „ singularium exsors proprietatum , non habeat rem ullam sibi ordine praece- „ dentem , nimirum primum illud sit , quod potest in Deo concipi , et quo remoto , „ nulla reliqua est Dei , suarumque proprietatum consideratio „ ; patet apertissime, nihil quoque esse realem Dei existentiam , nihil divinas hypostases , nihilque proprietates reliquas , quae in Deo insunt ; quoniam ex divina essentia , quae juxta Auctoris hujus dictata , est idolum commentitium , et vagum , penitusque nihil , ea omnia exoriuntur , ac pendent . Id autem patebit apertius , si ratio pensetur , ob quam Dei essentiam idolum esse commentitium , et vagum , hoc est , nihil , obgannit : nimirum ita docet „ ne metuatur , ut existentia haec „ generatim accepta , quaeque subest principio illi primo ...., constituat prin- „ cipium alterum eidem praemittendum . Idcirco ita concludit : Quare quod „ subest principio illi primo seu peculiari , quem habet , existendi modo , ac- „ cipiendum pro divina erit essentia , quin hinc metui debeat , ne principium „ alterum statuatur eidem praemittendum „ . Si itaque alterum principium Essentiae praemittendum non est , quia essentia nihil est , et nihil in nihilo rationem sui habere potest , quia nihili nullum est principium , nulla proprietas , atque affectio ; multo magis modus existendi , quo affectum est Principium , erit nihil , cum in essentia , quae nihil est , ipse sui rationem habeat ; multoque etiam magis nihil erit divina existentia in Dei substantia , quae ex principio illo consequitur , ac dependet , nihilque tandem terminus actionis , et caeterae proprietates Dei ; quia ex nihilo nihil . Deus immortalis ? Quis audivit unquam talia ? Haeccine est illa igitur , caeteras omnes , quae in lucem hactenus prodierunt , sublimitate excellens Metaphysica , quae docet , et docendo adorat amplius Rem tantam , scilicet Triadem augustam , eique suum tantopere profitetur obsequium ? Calamum hic cogor e manu projicere , ne ampliori maerore confectus , inter scribendum extinguar .

PROPOSITIO XXXIV.

„ *Principium existit , prout est principium , non vero quatenus est princi-* „ *piatum seu quatenus habet rationem existentiae ab eo consequutae in di-* „ *vina substantia* „ (§. 261. pag. 124.) .

NOTAE .

28. Post plurium dierum intervallum , quo , utpote tertiana febri corre-

(a) §. 251. pag. 121.

ptus, maestisque curis obrutus, a scribendo supersederam, iterum nunc calamum sumo, Dei auxilio unice fretus, cujus caussam adversus Metaphysicam sublimiorem tueri pergo, ac vindicare. Filium itaque mihi resumenti propositionum, quibus prima Mastrofiniana de Trinitatis existentia demonstratio contexitur, allata se offert propositio perpendenda. Ea igitur primo novitatem praesefert insuetam; neminem quippe, qui de Deo disserat, ita unquam loquutum invenimus: quare vel ex hoc tantum capite videtur percellenda anathemate. Deinde obscuritate haud exigua laborat; ecquis etenim, amabo, intelligendo par erit, qua ratione Principium ejusmodi revera existat, et interea tamen, prout Principium est, rationem non habeat existentiae in divina substantia? quin et contradictoria eadem videtur; nam affirmare, principium hoc existere, quatenus Principium est, et tamen non habere existentiae rationem in divina substantia, tanti esse videtur, ac dicere, Principium ejusmodi existere simul, et non existere: quod plane repugnat. Tandem, ut caetera, quae de ea commentari possem, missa faciam, potentiam, ipsa, actumque in Deo ponit, quia nempe ponit principium id in potentia ad habendam existentiam, qua, veluti actu, perficiatur; et consequenter inter Dei essentiam, ipsiusque existentiam distinctionem ponit, Deumque ex utraque veluti conflari, ac emergere statuit: quae duo plane infinitae Dei perfectioni, ac omnimodae simplicitati ejusdem adversantur; quoniam Deus et est actus purissimus, omnem proinde potentiam excludens: et existentia ipsius est ipsamet realis ejusdem essentia necessario absoluteque existens; adeoque altera ab altera, ut distincta, considerari nequit.

PROPOSITIO XXXV.

„ *Quod si ergo Principium hoc habet se tanquam principium, non vero*
„ *ut est principiatum, scilicet si Principium hoc se habet tanquam princi-*
„ *pium, cur sit in Deo existentia; necesse est sine controversia adscribere*
„ *ipsi id quod rationem habet existentiae ab eo principio consequutae in di-*
„ *vina substantia* „ (§. eod.).

NOTAE.

29. Propositio haec priorem consequitur; quandoquidem ex eo quod principium id existat, prout est Principium, non quatenus in divina substantia habet rationem existentiae; concluditur, praeter idem principium, admittendum quoque esse id, quod in natura Divina existentiae rationem habeat. Quamobrem et prioris propositionis defectus complectitur, et aliud quidpiam praete-

rea patefacit Fidei, et rationi non plane consentaneum. Nam primo, quoniam, juxta Mastrofinium, Principium existit, antequam divinae existentiae rationem habere concipiatur: nam ex eo principio jam constituto, et peculiari suo existendi modo affecto, ac definito, oritur, et consequitur id quod rationem existentiae habet in divina substantia; apparet exinde, hanc, quae consequitur ex illo principio, Dei existentiam proprie appellandam esse: nam principium non est ipsa divina existentia, sed tantum rationem in se continet, cur illa in Deo sit: proindeque principium in se inspectum non habere proprie divinam existentiam, cum ab ipsa realiter distinguatur, adeoque minime esse Deum proprie, cum careat eo, quod rationem existentiae habet in divina substantia: et nihilominus quum neque ipsum habeat divinae existentiae rationem, neque consequenter proprie sit Deus, et Deum, et divinam existentiam ab ipso oriri, ac consequi potuisse. Clarius id efferam: Existentia haec, quam ex illo principio consequutam esse Auctor contendit, utpote proprie Dei existentia, Deus erit, non porro Deus erit principium, quod Dei existentiam in se non habet; ergo secunda tantum Trinitatis hypostasis, utpote quae sola rationem habet existentiae in substantia, seu natura divina, Deus futura est; minime vero Deus erit prima hypostasis, quia non est divina existentia, sed duntaxat ratio, cur in Deo sit existentia. Ecquisnam ista concoquat?

30. Rursus posset hoc in loco quis a Mastrofinio percontari: Quamnam ipse inter existentiam, quae ex principio consequitur, et principium ipsum jam existens, distinctionem statuat, realemne, an rationis, seu virtualem? Si dixerit, realem; ergo inferri posset, inter Essentiam primo existendi modo affectam, et divinam existentiam, quae ex illa Essentia sic affecta proficiscitur, realem distinctionem interfuturam: quod est haereticum. Neque reponat ipse, se realem distinctionem non statuere inter Essentiam generatim acceptam, et existentiam, quae ex eadem Essentia, prout definita est, proficiscitur; sed inter primum existendi modum, quo essentia affecta est, et existentiam, seu secundum existendi modum, qui a priori modo oritur, et provenit, cum tam primus, quam secundus existendi modus minime realiter distinguantur ab Essentia. Sed haec Auctoris responsio nulla est; nam cum Essentia divina generatim accepta, et exuta quolibet existendi modo, juxta ejusdem sententiam (a), nihil omnino sit, *cum sit idolum vagum, et commentitium, quod revera non existit*; apparet, inter hanc essentiam generatim sumptam, quae nihil est, et divinam existentiam, quae est aliquid, realem distinctionem interesse non valere; cum distinctio quaevis nonnisi inter terminos positivos ambos reperiri queat; adeoque distinctionem ejusmodi realem inter essentiam quidem, sed

(a) *Vid. propos. XXXIII. et subject. not. 27.*

quatenus est definita existendi modo, et existentiam, quae ex illa essentia sic definita nascitur, necessario casuram esse; consequenter que inter Dei essentiam, realem repertum iri distinctionem: quod, ut dixi, haereticum est. Quod si vero eam distinctionem, rationis, seu virtualem Mastrofinius appellaverit; posset similiter contra ipsum inferri hoc modo: Quoniam in Principio, primo existendi modo affecto, ac terminato, primam Trinitatis Personam, secundam vero Personam in divina existentia, quae ex illo Principio consequitur, Mastrofinius collocat; jam inter utramque Personam, non realis amplius, ut fide constat, distinctio habebitur, sed virtualis tantum, ac rationis: quod similiter est haeresis. Vides, quanti facienda sit hujuscemodi doctrina! Nonne igitur Sacrosanctae Trinitatis Majestatem his dicendi formis obscuris, novis, aequivocis Metaphysica Sublimior deprimere, illamque incredulorum derisui, atque cachinnis exponere omnino videtur? Tantum abest, ut tam adorabile Mysterium illustret, ac tueatur.

31. Sed hic, antequam ultra ferar, animadvertendum existimo, istiusmodi doctrinam non de Trinitate Catholicorum, sed de Entibus simplicibus, seu materiae elementis intelligi posse, ac duabus praecedentibus propositionibus insinuari elementa ipsa materiae inspecta prout sunt in seipsis, seu considerata prout sunt elementa, seu principia agendi vi pollentia, peculiarem habere existendi modum: considerata vero, prout evoluta, atque varie inter se contexta, combinata, disposita, atque modificata, rationem habere existentiae, quae existentia ex ipsa elementorum evolutione, textura, combinatione, dispositione, ac modificatione enascitur, atque conflatur. Id quod tum ex iis, quae hactenus disputata sunt, tum ex iis, quae subnectam, suspicere quis posset. Et revera, postquam Mastrofinius (a) obscurissimum Marii Victorini testimonium protulit in medium: quo ille Dei Flium vocat „ inexistentem existentiam, existentiam, et substantiam, actum existentialem, vitam existentiam etc. „ ita commentatur ipse Mastrofinius, et explicat Victorini mentem: " Tanto magis autem Scriptor iste Filium appellat existentiam, quod „ existimet Divinum hunc Filium esse stirpem, ac semen caeterarum existentiarum. Quasi exoriente Filio oriretur id quod est existentia, nimirum „ id cujus deberent, modo tamen simplicissimo, finitae substantiae participare: Pater autem sit quidvis aliud, quam existentia haec, nimirum sit „ principium interius, et immanens ejusdem „. Jam vero in his verbis (quae neque sunt Marii Victorini, neque ex ejus testimonio colliguntur, ut illud legenti palam fiet; sed sunt profecto Mastrofinii, qui alienae auctoritatis ope, fulcrum doctrinae suae perperam adsciscere nititur), in his, inquam, verbis

(a) §. 280. *pag.* 130.

quis non confestim nidorem olfaciet Pantheismi? Si enim Filius ita est existentia, ut sit quoque stirps, ac semen caeterarum existentiarum, si ita est existentia, ut ejusdem participare debeant, modo tamen simplicissimo, creatae finitaeque substantiae; si ita est existentia, ut Filio exoriente, oriri debeat id quod est existentia: ergo concludi posset, quemadmodum germina, plantae, ac rami ejusdem sunt naturae cum stirpibus, ac seminibus, ex quibus illa exoriuntur, ac pullulant; ita et existentias finitorum Entium eandem cum divina existentia, hoc est, cum Filio, cujus eaedem participare debent, naturam habituras, et existentiam Dei eandem esse, ac existentia Creaturarum, quemadmodum eadem est existentia stirpium ac seminum cum existentia germinum, plantarum, ramorum: adeoque in Mundo non esse, nisi unicam infinitam substantiam existentem, et operantem, hoc est elementa materiae existentia, et intestinae actionis termino praedita: et existentias creaturarum non esse quidpiam aliud, quam finitas modificationes existentiae infinitae, quae divinam naturam universam, hoc est eadem elementa materiae, seu Entia simplicia terminat, atque complectitur.

32. Quae sane Mastrofinii doctrina confirmari posset tum ex eo, quod is exponens, cur Marius Victorinus Filium *vitam* appellet, quia nimirum Filius ex illa origine (scilicet Patre) consequitur, vel potius quod rationem habet existentiae in divina substantia, hujus explanationis hanc praebeat rationem: " Nam, „ inquiens, existentia, et vita in simplicibus maxime substantiis unum sunt, et „ et idem „: quo apparet, Deum, et substantias simplices, juxta Mastrofinium, unum idemque omnino esse. Tum etiam haec eadem doctrina illustrari ex eo quod, relato (*a*) Basilii textu, quo S. Doctor explanans illud Apostoli: Qui cum sit splendor gloriae, et figura substantiae ejus etc. „ variis similitudinibus corporalibus (ut exemplis ejusmodi materialibus ad invisibilium intelligentiam rudes veluti manuducantur), conatur exprimere, quibus signis Filius a Patre distinguatur, quaeque unius ad alterum habeaur relatio, subdat idem ipse Mastrofinius: " Quamobrem ut se figura habet ad Corpus; ita, si Basi- „ lium audias, habet se quodammodo Filius ad Paternam substantiam. Nonne „ autem figura posita completur ac denique inducitur id quod rationem exi- „ stentiae continet in Corporibus? Dum itaque Filius ad Paternam substantiam „ comparatur, est ille considerandus tamquam si respectu hujus habeat ratio- „ nem existentiae „. Quae Mastrofiniana comparatio, praeterquam quod indigna est, quae locum habeat divinis in rebus, Majestatemque Patris, ac Filii magnopere extenuat; vehementer praeterea cogitationem ingerit suspicandi, eam existentiam, qua divina substantia circumscribitur, ac terminatur, non aliud esse, quam figuram, qua Entia simplicia, seu Materiae elementa clauduntur,

(a) §. 284. *pag.* 133.

ac definiuntur; quemadmodum elementa ipsa materiae, ex quibus Corpora coalescunt, illo existendi modo, quem praeseferunt, quemque in iisdem Corporibus existentiae rationem habere Auctor affirmat, definiuntur, ac terminantur.

PROPOSITIO XXXVI.

„ *Praeter geminos eos existendi modos (modum scilicet existendi quo Principium affectum est, et modum quo existentia in Divina substantia est definita), reperitur in Deo modus alius tertius existendi, qui divinae actionis terminus est, immutabilis, a primis differens, et infinite patens* „. (§§. 310., et 311. pag. 143., et 145.).

NOTAE.

33. Allata propositio primae de Trinitatis existentia demonstrationis coronis est. Postquam enim Auctor praecedentibus propositionibus ostendit, ut sibi videtur, duos in Deo modos existendi reperiri; propositione hac alia, praeter illos duos priores, tertium alium existendi modum in Deo inesse demonstrandum aggreditur. Quod ita exequitur: " Substantiae quaelibet creatae non „ modo principium habent, unde existentiam acceperint; verum ipsae interea „ dum existunt, continent in semetipsis etiam principium aliquod actionis, „ nempe principium, quo suas eliciant actiones. Quod etiam principium cla„ rissime in spiritibus apparet. Ita in humanis mentibus principium inhaeret „ quo vivant, vel quo cogitent, appetant, ac velint; ex quo principio in iis„ dem contingit veluti continuata quaedam, et perpetuo fluens modificationum, „ et phaenomenon motio. Quare si quidquid ad substantias pertinet, prout ge„ neratim hae substantiarum in nnmero comprehenduntur, id omne adscriben„ dum est pariter Deo, qui sine dubio substantia est; quamquam prestantio„ nis ordinis utpote creatrix non creata: ac si denique proprietates quae spi„ ritibus tribuuntur, prout hi simpliciter, et nude spectantur taamquam spiri„ tus universim, eae quoque omnes in Deum conferendae sunt, longe tamen „ praeclariore, et puriore modo; consequens inde fiet, oportere etiam admit„ ti principium quoddam actionis in ipso Deo considerato jam prout suam ha„ bet existentiam, nempe in primo illo interiore, ac existente principio specta„ to simul cum secundo existendi modo, qui rationem habet existentiae, vel „ principiati relate ad primum illud principium. Jam vero intrinsecum istud „ exerendae actionis principium vel habet peculiarem, ac definitum quemdam „ actionis terminum; vel contra. Si postremum fiat, jam possibile foret prin-

„ cipia existere actuosa illa quidem, sed affectionibus destituta, vel proprie-
„ tatibus, quae necessario indidem prodeunt. Absona plane vox, et mirum in
„ modum absurda ! utpote quae universae Philosophiae rationibus adverse-
„ tur........ Ergo principium intrinsecum, quale descriptum fuit, divinae
„ exerendae actionis, postulabit sibi interiorem quemdam, et proprium actio-
„ nis terminum, quique ex prioribus duobus existendi modis, vel subsistentiis,
„ quas divinae substantiae vindicavimus, differt, vel secernitur tanquam ex
„ principio principiatum „. Ita (*a*) Mastrofinius. Sed quod primo reprehensione dignum videtur in hac Mastrofinii demonstratione, hoc est, nempe quod is ex principio agendi, quod creatis rebus inesse deprehendimus, arguat, admitti oportere similiter in Deo principium quoddam actionis, cui proprius terminus correspondeat. Quid enim proportionis adinvenire est inter vim hanc, qua creaturae agunt, et illam spirativam virtutem, qua Pater Filiusque Sanctum producunt Spiritum, ut ad hanc in Deo adstruendam, ex illa creaturarum agendi vi argumenta is trahat? Nonne id perinde videtur, atque interiorem Dei agendi rationem cum ea vi, qua creaturae donatae sunt, miscere quodammodo, atque confundere? Non me latet, discrimina ab Auctore notari (*b*), quae divinam, et creatam interiorem actionem intersunt. Sed id neque officit, quominus adhuc Mastrofinii ratiocinationem absonam reputemus; cum, quocumque divinam inter, et creatam interiorem actionem assignato discrimine, semper verum sit, ex vi agendi creaturarum, argumentum ejusmodi, quod plane demonstret, inesse in Patre, et Filio debere vim, qua Spiritum Sanctum spirent, seu producant, trahi nequaquam posse, ut per se manifestum est, nisi forte dicere stulte velimus, eam naturae conjunctionem Deum inter, creaturasque interesse, ut ex cognita istarum agendi natura, ad idem de indole, naturaque agendi in Deo necessario concludendum devenire debeamus.

34. Aliquid porro tetrius latet in allata Mastrofinii propositione, atque prolixa oratione, qua ipsam propositionem illustrat; quandoquidem eam vim, seu actionem, quae in Deo inducit modum tertium existendi interiorem, seu intimum actionis terminum, nequaquam Auctor distinguit a vi illa, qua Deus existentias producit creaturarum. Ita namque scribit (*c*): " Porro divina ea
„ vis agere potest intrinsecus, nimirum quatenus ad ipsam Dei substantiam re-
„ fertur, ac agere extrorsum potest. Jam vero vis ista cum extra se fundi-
„ tur, tum existentias producit rerum quarumcumque, et quem usque ad nu-
„ merum voluerit, dummodo sint illae finitae, diversae invicem, ab ipsoque Deo
„ distinctae penitus vel separatae. Ergo divina vis haec, procul dubio vis est

(a) §. 310. *pag.* 134.
(b) §§. 311., 312., *et* 314.
(c) §. 315. *pag.* 147.

„ producendarum existentiarum potens: vel cujus nativa indoles pertinet ad „ existentias conatu suo promendas. Ex aequo igitur divina vis ista cum in- „ trorsum agit, temperare sibi nequibit, quin fundat, atque constituat exi- „ stentiam quamdam ejusdem Dei propriam. Quae tamen existentia, vel existendi „ modus nequit ab ipso Deo sejunctus esse, cum hic introrsum concipiatur „ agere: praeterea debet esse distinctus a primis duobus „. Haec Auctor. Jam eandem esse, qua Deus agit ad intra, et qua ad extra operatur, vim affrmare, absurdum mihi videtur. Nam vis, qua Pater, et Filius spirant Personam tertiam, est utrique omnino necessaria; nam nequeunt Prima, et Secunda Persona non spirare Spiritum Sanctum, cum activa haec spiratio, ex Patris Filiique natura fluat: vis autem, qua Deus extra se agit, est libera penitus, potuitque eam non exerere, quin aliquid infinitae ejusdem perfectioni demeretur, adeoque potuit Deus Mundum non creare, si voluisset, cum circa ejus effectionem liberrimus foret. Deinde spirandi vis Patri tantummodo, ac Filio competit, non porro Spiritui Sancto: vis vero creandi communis est toti Trinitati. Prima praeterea aeterna est, nec initium durationis habens, neque finem, adeoque absque initio ullo, aut fine Spiritus Sanctus perfectissime a Patre, et Filio, tanquam ab uno Principio perfectissime spiratur, seu procedit: secunda autem, etsi ab aeterno in Deo insit, creatio tamen, quae facta est per vis hujusce, seu Omnipotentiae exercitium, est temporanea. Tandem illa immanens in Deo est, quia habet terminum immanentem, in ipso Deo, necessarium, infinitum, Sanctum videlicet Spiritum: haec est transiens. quia habet terminum, extra Deum, temporaneum, contingentem, finitum, scilicet hunc Mundum. Cum igitur spirandi vis, qua Pater et Filius Sanctum producunt Spiritum, a vi, qua tota Trinitas Mundum penitus e nihilo operata est, distinguatur; perperam omnino, utramque confundit Mastrofinius. Si namque vis, qua Pater, ac Filius tertiam producunt Trinitatis hypostasim, eadem est omnino cum vi creatrice; ergo concludi exinde valeret, aut Sanctum Spiritum fore contingentem, quemadmodum contingentes sunt Creaturae, aut Creaturas necessario exstituras, prout necessario Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedit; adeoque Spiritus Sancti a Patre, et Filio processionem, confusum quodammodo, ac mixtum iri cum creatione ex nihilo, quae a tota Trinitate peracta est, hujus Universi. Non sum nescius, ab Auctore (*a*) discrimen aliquod assignari, non utique inter vim, sed modum, quo Deus extra se operatur, et quo agit introrsum, ab eoque asseri priori modo agere ipsum Deum, sponte atque liberrime; posteriori vero agere necessitate naturae. Sed cum idem affirmet(*b*):“ Principium hoc agendi, consideratum quatenus est actuosum, se habere eodem

(a) §. 338. *pag.* 157. (b) §. *eod.*

„ modo sive intus agat, sive extrorsum effundatur. Semper enim unicam agen- „ tis notionem in eodem reperiri „; scilicet eandem vim esse, sive introrsum agat, sive extrorsum; non video, qua ratione constare valeat discrimen illud ab auctore notatum, cum eadem agere debere videatur, sive ad Deum ipsum, sive ad res extra Deum referatur. Sed fortassis discrimen ejusmodi, quod posuit Auctor inter modum quo Deus agit introrsum, et quo extrorsum operatur, in eo consistit, quod vis illa, si ad interiorem actionis terminum refertur, tota simul impendatur: impendatur autem per partes, ac limitate, si refertur ad Creaturas. Idque discrimen non ex meo cerebro excogitavi, sed didici ab Auctore, qui postquam in sua pluries laudata dissertatione docuerat (*a*), vim, qua Dei existentia ponitur, et qua Creaturae ad existentiam perducuntur, verbo quidem, non autem re discrepare; " asserens nihilominus, „ vim eandem non uno eodemque modo impendi, sive applicari posse; discri- „ men ejusmodi sic explicuit (*b*): Vis possibilia actuandi, et qua Ens neces- „ sarium actuatur, impenditur, vel applicatur tota simul, ac necessarie. Et „ sane: impenditur tota: Nam Ens, quod actuatur, utpote necessarium, pos- „ sibilia omnia continet saltem eminenter. Deinde tota simul adhibetur; secus „ enim Entis necessarii prius pars una, subinde altera existeret. Quod fieri „ non sinit Entis hujus maxima simplicitas (44.). Tandem necessario impen- „ ditur. Neque enim possibile est, ut Ens necessarium aliquando non existat, „ cum ab illius possibilitate sejungi nequeat existentia. Constat ergo de pro- „ positis. Vis autem qua contingentia ad actum perducuntur, nonnisi limita- „ tio quaedam est vis illius, qua Ens necessarium ex tunc existit: ac primo „ vim, qua Ens necessarium existit, et contingentibus existentia tribuitur, unam „ eandemque esse paullo ante tradidimus. Porro vis, qua Ens necessarium exi- „ stit, impenditur tota simul (71.). Cum vero Entia contingentia realiter di- „ stinguantur, neque eorum ullum possibilitates omnes contineat; vis possibi- „ lium actuatrix, qua Ens necessarium existit, nonnisi partim, ac limitate erit „ adplicanda, ut quodpiam Entium contingentium, actum nanciscatur „. Ex qua doctrina nedum apparet discrimen, quod inter modum adest, quo Deus ad intra agit, et modum, quo agit ad extra; nedum etiam Pantheismi odor exhalat: sed et praeterea error alius patefit, cum divina creandi vis, quae est omnino simplicissima, et infinita, scindatur, atque secetur in partes per Mastrofinium, limitetur, ac circumscribatur. *Qualis idearum confusio*!

35. Ad haec recensita propositio, de errore suspecta esse videtur, cum unum duntaxat in Deo divinae actionis terminum videatur agnoscere. Nam cum fide constet, duas reperiri in Deo processiones, quarum altera *generatio*, alte-

(a) §§. *LXX.*, *et LXXIV.*

(b) §§. *LXXI.*, *et LXXII.*

ra *spiratio activa* Theologis dicitur ; cumque hae duae processiones, verae sint, proprieque dictae actiones vitales, et immanentes, ut Christiana docet Theologia ; apparet, duos quoque harum processionum, seu vitalium et immanentium actionum relativos terminos in Deo esse necessario admittendos, alterum, Personam Filii, qui est terminus Paternae generationis ; alterum Personam Sancti Spiritus, qui terminus est activae spirationis, quae Patri inest, ac Filio. Quapropter unum duntaxat divinae actionis terminum in Deo confiteri cum Mastrofinio, quid multum rogo, erit aliud, quam propositionem de haeresi suspectam eructare ? Quae quidem erroris suspicio tanto magis invalescit, quod expresse Mastrofinius negat, secundam Trinitatis Personam respici debere valuti profectum, ex divina et veri nominis actione ; ita enim scribit (*a*) : " Ergo primum illud principium intrinsecum et existens, dum producit secundum „ existendi modum ; ita producere debet, ut nondum applicare id possit, quod „ actionis divinae proprium est. Quod cum sit ; ergo Divinus existendi mo- „ dus ordine secundus, utpote principiatum primi illius principii, nihil habet, „ quod respici debeat veluti profectum ex Divina, et veri nominis actione. „ Itaque ambobus iis existendi modis perfecte jam in Deo constitutis, omnino „ superest ut divinae actionis terminus consideretur „.

36. Postremo ut coronidis loco aliud quidpiam ad uberiorem primae hujus de Trinitatis existentia demonstrationis intelligentiam subnectam, animadverto 1. in tribus illis a Mastrofinio excogitatis existendi modis, quibus divina substantia circumscribitur, vel terminatur, divinam essentiam, juxta ipsius principia, constitui nequaquam posse. Etenim cum is (*b*) doceat, in principio illo, ex quo divina pendet existentia, considerato prout peculiarem habet ac definitum existendi modum, collocandam non esse divinam essentiam, ex quo, ut alibi (*c*) affirmaverat, simplicium substantiarum Essentia constitui nequeat in modo, vel forma, qua illarum afficitur, vel terminatur existentia ; patere arbitror apertissime, idem argumentum ad alios duos existendi modos transferri peraeque debere ; adeoque quemadmodum divina Essentia collocanda in priori existendi modo non est, ita neque constituendam eamdem esse in duobus aliis posterioribus, cum par sit utrobique ratio. Quamobrem hi tres existendi modi, videlicet Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, cum consequi perpetuo debeant divinae substantiae existentiam, quae modis hisce definitur, vel terminatur, non sunt primum eorum, quae in Ente simplici, nempe in divina substantia cogitantur, vel quod perinde est, nequeunt hujus Essentiam constituere. Ex quo plane fit consequens, Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, qui divinam

(a) §. 313. *pag.* 146. (b) §. 250.
(c) §. 4.

substantiam afficiunt, terminantve, haud constituturos divinam ipsam substantiam, seu essentiam divinam, sed eandem duntaxat consecuturos, adeoque participaturos eos ejusdem, cum eam afficiant; sed nequaquam eosdem divinam ipsam Essentiam futuros, cum in ipsis constitui ea nequeat. Quod quantum cum Catholica fide pugnet, facile quisque perspiciet; nam catholica fide edocemur, nedum Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum eadem numero gaudere Essentia, natura, seu substantia, sed easdem tres Personas, imo et harum quamlibet, esse unam Rem illam, scilicet Essentiam, substantiam, vel naturam(*a*). Quoniam praeterea juxta sublimioris Metaphysicae Conditorem, divina Essentia, quae est primum eorum, quae in Deo sunt, et quo remoto, nulla reliqua erit ipsius Dei, ejusdemque proprietatum consideratio, idolum est quoddám commentitium, et vagum, quod juxta humanum cogitandi morem existit, reipsa tamen non existit; quisque colligat, quid de tribus illis existendi modis, Patre videlicet, et Filio, et Sancto Spiritu, qui divinam essentiam, quae nihil est, ordine sequuntur, ab eaque veluti dependent, sit animo et cogitandum.

37. Animadverto 2., a Mastrofinio, dum is secundam Trinitatis Personam in eo collocat, ut ea sit, quae rationem existentiae habet in divina substantia, doctrinam tradi tum obscuritatis refertissimam; tum falsam, fideique minime convenientem: doctrinam quidem obscuritatis refertissimam; ecquis nemque intelliget unquam, a Filio, seu a divina Existentia, affici ac terminari non ipsum principium, a quo consequitur, utpote quod jam in se subsistit, et proprium habet existendi modum; sed terminari denuo afficique ex integro (*b*) divinam substantiam, seu Essentiam, quasi eadem a principio non plene definiatur, vel circumscribatur: doctrinam autem falsam, et fidei haud consonam; Etenim existentiam hanc, seu Filium, vel prout relativa est, vel quatenus absoluta est existentia, Mastrofinius accipit. Si accipit priori modo, rem falsissimam expromit, eam tantummodo Filio convenire docendo: cum juxta Theologorum illorum sententiam qui tres in Deo existentias relativas admittunt, existentia ejusmodi tribus Personis divinis ex aequo conveniat. Nam Persona quaevis, utpote ab alia distincta realiter, existentiam habebit relativam sibi propriam; quamobrem dicere, quod solus Filius in divina substantia habeat existentiae relativae rationem, tanti est, ac falsitatem incautis erroremque propinare. Et sane, non ex eo Filius a Patre distinguitur, quod ille, non iste, existentiae rationem habeat in divina substantia, cum id sit in Theologia inauditum; sed Pater per Paternitatem a Filio, Filius per filicitatem a Patre distinguitur: quemadmodum Pater, et Filius distinguuntur per spirationem acti-

(a) *Vide Conc. Lat. IV. De Summa Trinitate*, c. 2. *Damnamus*.
(b) §. 256.

vam a Sancto Spiritu, et hic per spirationem passivam ab utroque. Hisce vero relationibus, prout sibi opponuntur, et distinguuntur, suam cuique, ajunt illi, relativam existentiam fore necessariam. Quare si Filius, quatenus Persona est, existentiam habet relativam, hanc et Pater, quatenus Persona est, pariter habebit; adeoque si Filius in divina substantia habet existentiae rationem, sua Pater existentiae ratione similiter guadebit in eadem divina substantia. Idem dic de Spiritu Sancto. Quoniam autem tres relativae existentiae in Deo ab aliis Theologis, potissime Thomistis, probabilius negantur, et absoluta tantum ab iisdem existentia admittitur; idcirco si vera habenda sit haec sententia, nostra, quam hactenus ursimus adversus Mastrofinium ratiocinatio, locum non habebit. Quare alterum dilemmatis membrum adversus eundem urgendum est. Si igitur absolutae existentiae rationem Filio appingit Mastrofinius, rem absurdam profert, et fidei adversam; nam cum absoluta existentia sit, ut Scholae loquuntur, de formali Dei conceptu, ea nequaquam ab ipsius Dei essentia ullo pacto est distinguenda; propterea que uti una tantummodo est Dei essentia, ita et una duntaxat esse debet absoluta existentia. Qua de re cum Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus unam numero divinam ex aequo habeant Essentiam, unam numero habere pariter debent absolutam existentiam; et ideo quemadmodum Divina Essentia Patri, et Filio, et Spiritui Sancto pariter communis est; ita communis etiam iisdem tribus Personis peraeque debet esse absoluta existentia. Quocirca affirmare, quod soli Filio in divina substantia existentiae ratio conveniat, nonne perinde id esse videtur, ac Theologiam universam pessumdare, fideique nostrae fundamentum, videlicet Sacratissimum Trinitatis Mysterium, quo Catholica Religio tota innititur, icere, ac infirmare? Nam si Filius is est, qui solus rationem habet existentiae in divina substantia, seu natura; jam aut solus Filius futurus est Deus, cum ipse existentiae rationem tantummodo habeat in divina substantia, a qua existentia ipsa nullo pacto separari, vel distingui valet: id quod et paullo superius (a) animadverteram; aut idem Filius a Patre, et a Sancto Spiritu minime distinctus erit; cum absoluta existentia neque ullo modo ab Essentia, neque realiter a Personis distinguatur; adeoque erit Filius ipsa divina substantia existens, quae Patri, et Spiritui Sancto communis est, neutiquam vero persona a Patre, Sanctoque Spiritu distincta realiter. Vides, quam ubertim usquequaque venenum fundat Metaphysica ista sublimior!

38. Ex pauculis hisce notis evidentissime constare reor, qualis sit natura, ac indoles primae Mastrofinianae de Trinitatis existentia demonstrationis. Ea namque primo a numero veri nominis demonstrationum expungenda videtur;

(a) *Vid. not. 30. Prop. XXXV.*

a principio namque falso, et absurdo profecta (*a*), nonnisi propositionibus, ac consectariis falsis, et absurdis a principio ipso derivatis, constare potest. Deinde cum Pantheismi faetorem identidem redoleat, ut ex notis nostris fit undique perspicuum; omnino execranda eadem demonstratio prima, atque proscribenda videtur. Sed et eadem natura est, ac indoles secundae Mastrofinianae demonstrationis. Quam tamen praemoneo, prima longe esse obscuriorem, ac tot, tantisquae flexibus, difficultatibus, novisque loquendi formulis obsitam, et involutam, ut futurum, qui plene eandem intelligere queat, nisi qui tenuerit clavem mysterii, aut desursum fuerit afflatus, arbitrer neminem. Hoc propterea praefari volui, ut, si non plene Mastrofinii mentem assequi valuero, mihi ab aequis judicibus venia tribuatur. Porro propositiones, quas ex secunda demonstratione excerptas notandas duxi, sunt, quae sequuntur.

PROPOSITIONES
EX SECUNDA MASTROFINIANA DEMONSTRATIONE
DE EXISTENTIA TRINITATIS.

PROPOSITIO XXXVII.

„ *Deus vim creatricem habet, nempe illam, per quam tribuere valet fini-*
„ *tis rebus existentiam*. (§. 360. pag. 166.).

NOTAE.

39. Ab hujusmodi propositione Auctor secundam de Trinitatis existentia demonstrationem auspicatur; adeoque ipsa demonstrationis totius basis, ac fundamentum habenda est. Sed quis non miretur, novam hanc, aliis omnibus, qui de Trinitate hactenus scripserunt, penitus insuetam, quam hic Auctor usurpat, agendi rationem, ut tam eminus videlicet hujusce suae demonstrationis principia accersat! Quid namque vi creatrici, seu Omnipotentiae cum Personarum in Deo Trinitate est, ut ex illa in Deo adstructa, hanc Auctor post innumeras verborum ambages in eodem Deo inesse debere concludat? Cum enim vis creatrix, seu creandi potentia, ut docet B. Thomas (*b*), sit prin-

(a) *Vid. not.* 17. 18. 19. *Prop. XXVIII.*
(b) 1. *p. q.* 27. *a.* 5. *ad* 1.

cipium agendi in aliud, proindeque secundum eandem proprietatem actio ad extra accipiatur; patet, ex divinae potentiae, seu vis creatricis attributo nequaquam divinarum Personarum processiones in Deo, sed tantum processionem creaturarum ab eodem Deo extra semetipsum demonstrari posse; adeoque ex vi ejusmodi creatrice neminem ita valere proficisci, ut ex ea tandem, Trinitatis in Deo existentiam, vera proprieque dicta demonstratione conclusurus sit. Quare cum Mastrofinius, ostensurus in Deo inesse Trinitatem, a vi creatrice, secundum quam actio divina ad extra sumitur, demonstrationem suam exordiatur; cuique vel leviter attendenti ingerit suspicionem, se forsitan alio, quam ad Trinitatem adstruendam, animum contulisse. Sed nonnihil de ea propositione commentemur. Inesse in Deo vim creatricem nullis rationibus hoc in loco demonstrat Mastrofinius, propterea quod Lectorem suum Metaphysicis disciplinis, ubi veritas haec solet demonstrari, instructum supponit. Eam nihilominus propositionem demonstravit in sua Dissertatione, de qua superius sum commentatus: demonstravit autem hoc modo (*a*): " Ens necessarium habet vim creatricem. Et re quidem vera; actuare ens aliquod non aliud est „ quidquam, nisi actuare proprietates ejusdem, ut maxime generice sumptas „ conjunctas cum specificis tamen uno eodemque actu. Porro in Ente necessario „ vis inest, qua semetipsum actuet (66). Igitur in Ente necessario vis inest, „ qua suas proprietates, ut maxime generice sumptas actuet, conjunctas cum „ specificis tamen uno eodemque actu. Jam vero inter Entis necessarii proprietates, ut maxime generice sumptas locum illa habet, nempe quod possibile „ sit. Ergo Ens necessarium vim habet actuandi possibile, ut maxime generice sumptum. Sed inter possibilia generatim locum habent possibilia contingentia. Ergo Ens necessarium vi praeditum erit perducendi ad actum possibilia contingentia „. Jam ex hac demonstratione fit palam, prout supra (*b*) quoque observavi, non eo sensu vim creatricem hic sumi per Mastrofinium, quo eandem caeteri omnes Philosophi semper usurparunt, pro vi scilicet, qua Deus creare potest ex nihilo sui, et subjecti, quidquid possibile est: sed eo sensu nimirum, ut vis creatrix aliud non sit juxta novum hunc Philosophum, qui de silentio et solitudine erupit se in lucem, quam vis illa, qua Deus uno eodemque actu et seipsum actuat, et actuat perfectiones suas maxime generice sumptas conjunctas cum specificis ejusdem proprietatibus; proindeque finitas res, quibus per vim creatricem a Deo tribui existentiam docet Mastrofinius, non aliud quidquam esse, quam specificas proprietates proprietatum generice sumptarum ipsiumet Dei, hoc est finitas modificationes, seu limitationes infinitarum Dei proprietatum. Quoniam porro nulla penitus ratio prae-

(a) §. *LXVIII.* (b) *in not. 7. in Prop. XII.*

sto est, ob quam ne suspicari quidem valeamus, Mastrofinium opposita his, quae in sua Dissertatione tradidit, hic docere voluisse; putandum profecto est, eandem sententiam vi Dei creatrici utrobique subjectam esse: ac proinde et hic quoque vis creatricis nomine vim illam intelligi, qua Deus et se, et suas proprietates maxime generice sumptas cum specificis ejusdem proprietatibus una simul actuet; finitasque propterea res proprietates esse specificas proprietatum illarum generatim sumptarum, quae in eodem Deo insunt; adeoque creatas res a Deo nonnisi specie differre, ac discriminari, quod expressis verbis docuit ipse Mastrofinius in sua Dissertatione; ajens (*a*) " Ens necessarium, et „ contingentia specie inter se maxime differre „. Nec vero movere nos debet, quod ex nihilo finitas res per vim creatricem ad existentiam compelli doceat Auctor interdum. Nam cum id quod rationem habet existentiae finitis in rebus, non sit quidquam aliud, juxta Mastrofinium (*b*), quam figura, qua eaedem res afficiuntur, vel terminantur, cumque figura isthaec, quae existentiae rationem habet in rebus finitis, ex textura, dispositione, in ordinemque reductione elementorum emergat, atque confletur, haec ipsa finitarum rerum existentia, antequam elementa disposita inter se, atque cohaesa supponantur, nihil plane est, adeoque ipsam e nihilo exurgere affirmare is potest, quin veri nominis creationem admittat. Neque similiter officit, quod elementa simplicia, ex quibus composita extruuntur, procreari a Deo asserat. Nam elementorum creationis nomine intelligi videtur vis illa, qua elementa ipsa cita actuantur, quaque in se mutuo agentia, alterum ad se trahendo alterum, alterumve quolibet modo alterum afficiendo, cohaesionem tandem, ac constructionem Corporum, rerumque finitarum existentiam producunt: ea ratione, qua Dei existentia per vim, quam ipse Deus habet, actuatur juxta Mastrofinium, quin tum eadem Dei existentia, tum principium, ex quo existentia proficiscitur, ex nihilo vere prodiisse dici possint. Haec animadvertisse oportebat, ut quo haec altera Mastrofinii demonstratio sit evasura, tempestive pateflat.

PROPOSITIO XXXVIII.

„ *Non tamen Deus procreare potest plusquam numero unicam infinitam* „ *seriem substantiarum specie diversarum* „. (§. 362. pag. 166.).

NOTAE.

42. Postquam Mastrofinius affirmavit (*c*), divinam vim creatricem valere ad

(a) §. *LXX.* (b) §. 284. *pag.* 133.
(c) §. 361. *pag.* 166.

existentiam adducere substantias finitas specie diversas, quae numero tamen sint infinitae; ejusmodi propositionem hic limitat, contrahitque ad unam tantum numero infinitam seriem substantiarum finitarum specie diversarum: atque ad hanc tantummodo producendam, valere vim Dei creatricem docet. Quod cum docet, cohaerenter suis auctor principiis loqui videtur; nam cum is perpetuo doceat in sua dissertatione (*a*), essentias, existentiasque finitarum rerum, et contingentium esse limitationes essentiae divinae, divinarumque proprietatum, seu creatorum entium essentias creari, producique existentias earundem, cum perfectiones ad ens necessarium pertinentes limitato modo accipiuntur, ac simul combinantur: Divinamque essentiam non esse aliud, quemadmodum ex eadem demonstratione (*b*) non obscure colligi posse videtur, quam ipsa elementa materiae numero infinita, quae utpote substantiae simplicissimae, in unum conglobata (*c*), unam substantiam infinitam, eamque simplicissimam, constituunt; fit exinde manifestum, praeter essentiam divinam, quae est series infinita, unica tamen numero, elementorum, nihil aliud reperiri ullibi fieri posse; adeoque ex eadem essentia posse emergere, ac construi quidem substantias finitas, prout limitatis modis eadem accipitur; substantias specie diversas, quatenus ipsa diversimode limitatur; substantias numero infinitas, prout modis numero infinitis limitari ipsa valet: non posse tamen exoriri res alias finitas ad seriem alteram alterius naturae pertinentes; cum, ut ipse docet „ in promptu non sit alia speciarum infinita propago „, hoc est, alia entium simplicium infinita series, quae aliam divinam essentiam constituere valeat, ex qua limitatis, diversisque modis accepta, aliae rerum species queant enasci. Hinc est, quod Mastrofinius sibi constans, utpote acerrimi ingenii vir, in sua dissertatione docere perrexerit (*d*),
„ vim creatricem essentiarum dependere in creando ex divina essentia, cum re-
„ rum essentias excudat, ac exprimat ex limitatione perfectionum ad eam (di-
„ vinam essentiam) pertinentium, adeoque vim hanc creatricem non alias, at-
„ que alias creare essentias valituram, quam quas admiserit necessarii Entis
„ essentia: deinde (*e*) substantiarum primigeniarum sive simplicium essentiam
„ quamlibet unius potius, quam alterius indolis futuram, eo quod unius non
„ alterius indolis est necessarii Entis essentia, atque vis creatrix essentiarum non
„ temere, ac caeco veluti casu abrepta agere solet; verum ex necessarii Entis
„ dependet essentia; adeoque praeterea, substantias quaslibet primigenias ac
„ simplices certo quodam immotoque relationum nexu, seu ordine cum divina
„ essentia devinciri; inter seque propterea ratas quasdam, sempiternasque ha-
„ bituras relationes; adeoque tandem substantiarum primigeniarum systemata

(a) §§. *LXXXIII. LXXXIV. LXXXV. et seqq.* (b) §. *LXXXIX.* (c) §. *LXXXIV.* (d) §. *XC.* (e) §§. *XCI. XCII. XCIII.*

„ quaevis . . . . tam cum Ente necessario, quam secum etiam mutuis iis rela-
„ tionibus colligatum iri „. Patere itaque puto, quonam sensu a Mastrofinio enunciari, Deum non posse plusquam unicam numero infinitam seriem substantiarum specie diversarum procreare, nimirum sensu (ni fallor) omnino pantheistico. Haec dum scribo, velim Lectores animadvertant, me a principiis, quae in sua Dissertatione Mastrofinius praestituit, uti probatum est, profectum; ad ista concludenda descendisse. Quoniam porro obscure nimis auctor ubique loquitur, vixque mentem ejus vel acutissimus quisque assequi cumulate valet; quemlibet moneo, me, si de auctoris mente perspicue oppositum constiterit, ad palinodiam recinendam paratum esse; nihil enim possum adversus veritatem, sed pro veritate, neque ad aliorum opera carpenda, sed ad vindicandam catholicam fidem, opellam hanc aggressus sum scribere. Quod si ex ipsa, ulla in Metaphysicam sublimiorem labes importetur, id praeter voluntatem meam contingit, ipsique sublimiori Metaphysicae tribuendum est, quae cum catholica veritate minime cohaerere dignoscitur: satiusque est judicandum permittere, ut alicujus Operis, vel quoque plurium, fama pereat, quam ut catholica fides, sine qua impossibile est placere Deo, vel minimum detrimentum patiatur.

41. Caeterum etsi Mastrofinium vi creatrici catholicam notionem affixisse concederemus; adhuc nihilominus doctrina ejus tanquam absurda foret proscribenda. Nam primo tam audacter asserere, nequire Deum, nisi numero unicam seriem infinitam substantiarum specie differentium, ad existentiam compellere, nonne idem esse videtur, ac affirmare, Deum extra se agere necessitate naturae, non voluntatis arbitrio, cum ad unicam tantummodo rerum seriem producendam ex sui natura determinetur, ac veluti compellatur? Deinde nunquid Dei omnipotentiae limites non figit Mastrofinius; eandem intra seriei unius rerum, quae fieri valeant, cancellos circumscribendo? Quod perinde est, ac totam Dei naturam evertere. Cum etenim vis Creatrix in Deo absolute sit infinita; patet, limitari ipsam non valere ad aliquod duntaxat Entis genus efficiendum; sed quidquid habet, vel habere potest Entis rationem, nempe quidquid possibile intrinsecus est, vi eidem creatrici subjectum esse debere, ad omnia videlicet, quae sunt absolute possibilia, efficienda ex nihilo, divinam creandi potentiam debere penitus extendi: secus, absolute infinita eadem esse desineret. Quamobrem cum plures, quam unica, series substantiarum specie diversarum vel ab intellectu nostro, uti possibiles, concipiantur; eaedem dicendae sunt absolute possibiles; nam quidquid est absolute impossibile, perspicue concipi a nobis nequit; adeoque ad eas quoque series, quae a nobis concipiuntur ut possibiles, e nihilo producendas valere divinam creandi vim, sine dubio fatendum est. Qualis igitur hominis impudentia est, dicere, vim Dei creatricem, plusquam numero unicae substantiarum specie discriminatarum seriei procreandae parem non esse?

42. Tandem, ut absurda caetera, quibus Mastrofiniana propositio gravida est, silentio premam, ea Materialismum praesefert non ambigue. Quandoquidem cum Deus juxta Auctoris doctrinam, plusquam unicam numero seriem infinitam rerum procreare nequeat, cumque hae res specie diversae non sint, nisi elementa simplicia generis ejusdem, ejusdemque naturae, atque adeo homogeneae omnino, utpote ad unicam tantum ejusdem generis, ac naturae seriem spectantes; fit exinde cuìque evidens, res omnes, et quas Deus jam procreavit, et illas, quibus procreandis adhuc par est, eandem omnino naturam praeselaturas esse; proindeque omnia, quae in Mundo obtinent, analysi facta, in homogenea elementa simplicia tandem resolutum iri, variasque rerum species non futuras, nisi varias elementorum eorundem texturas, atque combinationes; ac consequenter nedum principiorum, ex quibus corpora, caeteraque composita exurgunt; sed et animarum Brutorum, et hominum mentium, et etiam Angelorum, eandem penitus fore naturam, nihilque postremo aliud, praeter elementa materiae, horumque diversas, quae in dies exoriuntur, ac occidunt, modificationes, ubique locorum obtenturum. Hanc Materialistarum doctrinam adeo certam, exploratamque Mastrofinius arbitratur, ut eam obtinere etiam doceat in sententia eorum, qui corporeis elementis extensionem quandam tributam volunt. Ita siquidem (*a*) ad rem suam subdit: „ Quod si quisquam ex „ eis qui corporeis elementis extensionem attribuunt, ab eorumdem quoque le- „ ctione discesserit veteris sententiae pertinax; non ob eam caussam inferre in „ Philosophiam poterit duplicem specierum et infinitam propaginem. Sed ille „ suam ordietur seriem ab elementis compositorum; quam hinc provehet „ ad animas insectorum, deque his paullatim, ac veluti per gradus, adducet „ ad animas animantium, quae praestantiora putantur; ex quibus eam promo- „ vebit usque ad animas illas, quibus lux quaedam rationis incipit affulgere, „ ad hominum animas, ad Angelos, donec series illa progressa in intimum, „ et caecis horrentem tenebris infinitatis abyssum; ipsa per se meditantium ab „ oculis evanescat. Huc vero accedit, quod qui extensionem elementis adju- „ dicant, uno opere doceant esse haec homogenea, unius videlicet, ejusdem- „ que speciei. Tantum abest (audiamus epiphonema tremendum) ut metuenda „ hinc sit infinita cohors altera specierum! „ Vides, quam evidentius mentem suam patefaciat Auctor, nedum principia Corporum, et insectorum animas, aliorumque, quae prestantiora putantur, animalium; sed et hominum mentes, ipsosque Angelos, elementa esse homogenia, idest unius ejusdemque speciei, sine ambagibus affirmando! Poteratne quidquam aliud efferri patentius, quo materialistarum deliramenta exprimantur, doceantur, inculcentur? Itane Metaphy-

(a) §. 365., *pag.* 167.

sicae sublimioris Scriptor veritati loquitur consentanea? Ita suum erga Ecclesiae Catholicae sancita, Patrumque doctrinam obsequium promit? Ita Religionem vindicat ab incredulorum maledictis, et ab iniqua obloquentibus tuetur? Scilicet! Persuadere cupit, credat Judaeus Apella.

43. Postremo miror Auctoris confidentiam affirmantis, Philosophos illos quoque, qui primigenias substantias, Entia nempe simplicia in tres classes partiuntur, secum cohaerere si velint, neutiquam posse plusquam unicam numero specierum seriem infinitam admittere. Id enim falsum esse deprehenditur; nam cum Auctores ii doceant, simplicia Entia dispesci 1. in elementa materiae, quae vi motrice tantum probabilius pollere, et ex quibus Corpora formari asserunt; 2. in substantias eas, quibus, praeter vim motricem, dicunt vim inesse quoque sentiendi, uti sunt Animae brutorum; 3. in substantias, quas ratiocinandi, ac libere volendi vi praeterea gaudere affirmant, quemadmodum sunt mentes hominum, atque Angeli; apprime liquet, ab iisdem unicam tantum substantiarum specie diversarum seriem homogeneam, ut Mastrofinius facit, neutiquam admitti, sed tres ab se invicem series immensum discrepantes. Cum enim inter eas substantiarum classes discrimen essentiale iidem inesse doceant (vi namque sentiendi, proprietate utique essentiali, qua carent elementa materiae, pollent animantium animae: et viribus illis intelligendi, ac libere volenti praestantissimis, quibus bruta omnia destituuntur, donantur Angeli, et mentes hominum); cuinam non erit protinus exploratum, series illas, quae proprietatibus essentialibus disterminantur, essentialiter inter se quoque discrepare debere; adeoque easdem ita secum coire nunquam valituras esse, ut unicam tandem substantiarum seriem homogeneam, ejusdemque speciei, et indolis, conflaturae sint, atque constituturae? Alioquin fieri etiam illud valeret, ut una res scilicet proprietatibus sese mutuo destruentibus constaret: quod fieri non posse, metaphysice certum est. Cum ergo proprietates ejusmodi in humanis mentibus inesse deprehendamus, quae cum proprietatibus, quae corporibus insunt, manifestissime, essentialiterque pugnent; fieri nullo unquam pacto valet, ut una eademque sit corporeorum elementorum, et humanarum mentium natura, atque indoles. Atque preterea ex tribus hisce substantiarum simplicium diversis seriebus, omnes rerum species creatas, quas in Mundo observamus, constitui iidem Philosophi tenent, ac derivari; ut nimirum ex elementis materiae species omnes corporum, lapidum, metallorum, arborum, caeterorum conflentur: ex substantiarum serie sentiendi vi praeditarum, efficiantur species animalium, canum, equorum, leonum, aliorum: atque tandem ex serie substantiarum, quae et ratione, et libertate valent, constituantur hominum mentes, innumeraeque species Angelorum. Quocirca Philosophi illi, quos Auctor memorat, secum utique minime cohaererent, si eas substantias, quae

tantopere inter sese proprietatibus essentialibus differre intelliguntur, ad unicam numero seriem homogeneam, ac speciei ejusdem denique revocarent. Tantum abest, ut Mastrofinii sententiae, Philosophorum illorum doctrina suffragetur.

PROPOSITIO XXXIX.

„ *Stultum foret, ac perridiculum affirmare, singula corpora, aliaque composita ad creatricem Dei vim in se spectatam pertinere* „ (§. 363. pag. 167.).

NOTAE.

44. Ut praecedentem propositionem, qua docuit, nequire Deum plusquam numero unicam substantiarum specie diversarum infinitam seriem efficere, tueatur, ac confirmet; subjicit hic (*a*) „ Corpora, et res quaslibet partium pluralitate constantes non comprehendi sub infinita serie specierum, quatenus „ a Deo procreantur; quidquid enim compositum est, quatenus est compositum, modificationem quandam esse, vel conformationem partium, non ipsum „ vere ac proprie substantiam esse. Quare sub infinito numero substantiarum „ specie diversarum, quas procreare valet Deus, contineri quidem simplicia „ elementa, ex quibus corpora, vel cujuscumque generis composita extruuntur; ipsa vero composita vel corpora minime contineri; sed haec potius incidere sub genus aut speciem rerum, quas Deus alio, atque alio modo disponere inque ordinem posset redigere, proindeque distare ab sese penitus „ haec duo: rerum nempe creationem, et earundem in ordinem distributionem. Ac propterea stultum fore (*b*) ac perridiculum, si quis inveheret in „ Philosophiam plures specierum series infinitas, ex: ca: entium simplicium, „ Corporum, aut aliorum compositorum, perinde ac singula ista ad creatricem Dei vim in se spectatam pertinerent „. Jam ut ingenue loquar, haec Mastrofinii doctrina et falsa, et nequam videtur. Falsa quidem. Ad quod ostendendum unum profero B. Thomam, qui (*c*) quaestionem movens: „ Utrum „ creari sit proprium Compositorum, et subsistentium „? affirmativam partem tuetur. Nam tribus contrariis in antecessum relatis argumentis, ita quaestionem propositam resolvit: „ Sed contra est, quod dicitur Genesis 1. In principio Deus creavit Caelum, et terram: Caelum autem et terra sunt res compositae subsistentes: ergo horum proprie est creatio „. Et in corpore articuli sic pergit: „ Respondeo dicendum, quod creari est quoddam fieri, ut „ dictum est. Fieri autem ordinatur ad esse rei. Unde illis proprie convenit

(a) §. 362. *pag.* 166.
(b) §. 363.
(c) 1. *p.* *q.* 45., *a.* 4.

„ fieri et creari, quibus convenit esse. Quod quidem convenit proprie subsi-
„ stentibus: sive sint simplicia, sicut substantiae separatae: sive sint compo-
„ sita, sicut substantiae materiales. Illi enim proprie convenit esse, quod ha-
„ bet esse, et quod est subsistens in suo esse. Formae autem, et acciden-
„ tia, et alia hujusmodi non dicuntur entia, quasi ipsa sint, sed quia eis ali-
„ quid est: ut albedo ex ratione dicitur Ens, quia ea subjectum est album.
„ Unde secundum Philosophum accidens magis proprie dicitur Entis, quam
„ Ens. Sicut igitur accidentia, et formae et hujusmodi, quae non subsistunt,
„ magis sunt coëxistentia quam entia: ita magis debent dici concreata, quam
„ creata. Proprie vero creata sunt subsistentia „. Et ad secundum respondens, haec habet: " Ad secundum dicendum, quod creatio non dicit constitutio-
„ nem rei compositae ex principiis praeexistentibus: sed compositum sic di-
„ citur creari, quod simul cum omnibus principiis in esse producitur „. Haec Angelicus Doctor. Ex qua ipsius doctrina patet 1. creationem esse proprie subsistentium, et compositorum, quae cum omnibus principiis suis, si sint substantiae materiales, in esse producuntur: 2. Compositis tantum, et subsistentibus esse convenire, quia habent esse, et in suo esse vere subsistunt: formas vero, accidentia, modificationes, et his similia, quae composita, aut subsistentia afficiunt, proprie non subsistere sed coëxistere tantum, adeoque concreata dici debere, non creata. Jam vero quis Metaphysicae sublimioris Auctorem facile ferat docentem, creationem compositorum non esse, sed tantum elementorum, seu principiorum, ex quibus composita coalescunt; adeoque fore rem ridiculi plenam, atque stultam affirmare, composita vel corpora ad vim Dei creatricem in se spectatam pertinere? Ergo ipse solus sapit? caeteri vero, qui ipsum aetate praecesserunt, tenebris obscuratum habuerunt intellectum? Ergone Doctor Angelicus, quem omnes jure mirantur, ridiculus, ac stultus erit habendus, propterea quod docuit, Composita proprie ad vim Dei creatricem in se spectatam pertinere? Stulti quoque ac perridiculi, qui ejusdem doctrinam sequuntur, atque tuentur? Stulta et perridicula Ecclesia ipsa, quae S. Thomae doctrinam semper magni fecit, laudavit, approbavit? Exinde porro vel maxime patere reor, quaenam verbis Mastrofinii habenda sit fides, quibus in Praefatione (a) quam suae Metaphysicae sublimiori praefixit, profitetur " se
„ perpetuo, tanquam faces, ad quas respiceret, habuisse prae oculis lucubra-
„ tiones, quas de Trinitate litteris consignarunt, B. Thomas, et Suaresius „ caeterique, quos ibidem memorat, Theologi, et Patres. Apparet itaque ex allata B. Thomae doctrina, quae tutissima, et vera est, quantum Mastrofinii sententia remota sit a veritate.

(a) §. *II.*

45. Sed et absurda eadem, fideique non satis consona videtur. Nam si ejusmodi doctrina vera foret, qua traditur, Corpora, et composita quaecumque non pertinere ad vim Dei creatricem in se spectatam, sed simplicia tantum elementa ad eandem pertinere; esset verum etiam, neque Caelum, et caelestia Corpora, Solem, Lunam, planetas alios, stellas, atque cometas, neque Tellurem, et corpora, quae complectitur, hominum, atque brutorum, plantas, metalla, lapides, caetera, vere, ac proprie fuisse a Deo a creata; sed horum omnium tantum creata principia, seu elementa: corpora vero ipsa incidere potius sub genus, aut species rerum, quas aut Deus alio atque alio ordine disponere, inque ordinem posset redigere; aut quae ingenitis elementorum, quibus eadem Corpora constant, viribus in se invicem agentibus, absque ulteriore Dei actione, ex se cohaesae sint, ac fabricatae. Quo quid poterit excogitari absurdius? quid dici poterit, quod a loquendi norma, quam Scriptura, Ecclesia, Patres constanter usurpant, magis abludat? quid tandem, quod ad Epicuri somnia accedit magis, valebit quis comminisci? Deinde posita Mastrofinii doctrina, fatendum quoque erit, compositum nullum, vel corpus in suo esse vere proprieque subsistere, quia nullum Corpus, seu Compositum, juxta eundem, proprie vereque substantia est, sed tantum modificatio quaedam, partiumque conformatio; quae quidem modificatio, vel partium conformatio, vere et proprie non subsistit, neque est res ulla, sed solum simplicium Entium, quibus inhaeret, affectio; ac propterea de Corporum existentia non nobis certo constare, nihilque vere, ac proprie oriri in Mundo, neque interire; quia neque, cum aliquod compositum aut Corpus emergere cernitur, ens aliquod in suo sese subsistens producitur: neque aliquod ens in suo esse subsistens perit, cum compositum ipsum, vel corpus dissociatur; verumtamen novas tantum in dies, veteribus pereuntibus, modificationes subsistentiam non habentes eorundem elementorum intestina vi continuo percitorum, quae sive hoc, sive alio modo conformata sint, atque modificata, semper perstant eadem, in hac rerum universitate contingere: ea omnino ratione, qua ex. gr. neque ullum Ens subsistens in suo esse novum oritur, si e multis lapidibus invicem coëuntibus acervus conflatur, neque interit Ens ullum subsistentia praeditum, et esse habens, si lapides illi ab invicem disjecti per agrum dispergantur: vel qua Ens nullum in suo esse subsistens aut nascitur, aut perit, si eadem cerae massa nunc unam, modo aliam, priore destructa, modificationem subeat. Quapropter, ut a generalibus ad peculiarem conclusionem deveniam, fatendum erit etiam neque ullum hominem vere, et proprie in Mundo nasci, sed novam quamdam duntaxat modificationem elementorum, ex quibus corpus quodlibet humanum extructum est, emergere, et apparere, cum novus homo in Mundo cernitur: neque proprie vereque interire ipsum, quando interire videtur, sed modificatio-

nem tantum illam, qua Corporis humani principia affecta erant, elabi, et evanescere. Ratio porro hujus manifesta est; nam cum juxta Mastrofinii doctrinam, homo, utpote Ens compositum, proprie vereque substantia non sit, sed quaedam tantummodo modificatio, partiumque conformatio; neque in suo esse subsistit, neque esse verum habet: neque propterea vere nasci homo dici debet, cum nova elementorum corporis ipsius modificatio exurgit, neque, cum ejusmodi destruitur modificatio, vere idem interire. Id quod quantum a recta Philosophia abhorrens sit, ac a fide, nemo poterit non perspicere. Quandoquidem ex rectae rationis lumine, fideique principiis erudimur, hominem dici propterea oriri, quia nedum nova corporis humani elementorum, quae in Matris utero, Patrisque lumbis delitescunt, evolutio, et modificatio exurgit; sed ideo potissimum, quod Ens in suo esse vere subsistens, et habens esse hominis, quod ante non existebat, in mundo producitur: ac ideo vicissim dici ipsum emori, quod non solum anima a corpore separatur, et disjunguntur corporis elementa, quae prius junctione tenebantur, sed propterea praesertim, quia illud Ens, quod hominem appellamus, vere in suo esse subsistens, et esse hominis habens, destruitur, idemque compositum desinit esse homo in suo esse hominis vere subsistens. Quocirca etsi in morte hominis, Anima utpote substantia spiritualis, vivere pergat, et maneant etiam Corporis principia, quia ad nihilum a Deo non rediguntur; non habetur tamen amplius homo, nimirum, Ens in suo esse subsistens, et habens esse hominis, quia per mortem destructum est: in quo praecipue sita mors est. Quae cum sint, apparet, quam periculosa sit, ac fidei incongrua doctrina Mastrofinii, quotque ex ipsa in Chsisti Jesu Salvatoris nostri Mortem, in futuram mortuorum resurrectionem, inque alias fidei veritates, importari queant errores. Apage itaque ejusmodi nova doctrina.

PROPOSITIO XL.

„ Deus tamen producere poterit infinita numero individua ex qualibet specie-
„ rum, ad infinitam de qua dictum fuit, seriem pertinentium„ .(§.366. pag.168.).

NOTAE.

40. Progreditur Auctor, et ut probet, Creatricem Dei vim esse infinities infinitam, seu *infinitum*, ut vocat, *secundi Ordinis*, allatam propositionem constituit, qua ostendere nititur, vim Dei creatricem nedum unius infinitae seriei substantiarum specie differentium potentem esse procreandae, sed et producendorum individuorum numero infinitorum ex speciebus singulis ad seriem

eandem infinitam pertinentibus. Quo praestito, ita concludit (*a*): " Ergo Deus „ procreare valet substantias infinities infinitas „, scilicet et procreare valet seriem infinitam substantiarum specie discrepantium, et ex qualibet specierum pertinentium ad illam seriem, ad existentiam compellere individua multitudine infinita. Sed Auctor non recte, procedit, et ex falsis principiis conclusiones item falsas elicit. Nam primo ex quo Deus plusquam unicam numero substantiarum seriem infinitam efficere nequeat, falso infert, vim Dei creatricem esse simpliciter, seu uno gradu infinitam; etenim Deus, ut demonstravi (*b*), plusquam unicam infinitam substantiarum seriem creare potest. Ergo si ex numero serierum infinitarum, quas efficere valet Deus, substantiarum speciae differentium, aestimanda sit vis creatrix, tot gradus infinitatis in eadem Dei vi creatrice habere locum debebunt, quot numerari poterunt infinitae substantiarum series, quae Divinae omnipotentiae subsunt. Falso itidem secundo concludit, vim Dei creatricem duobus fore gradibus infinitam, hoc est infinities infinitam, seu infinitum secundi ordinis, exinde quod ex singulis speciebus ad dictam seriem pertinentibus, infinita numero queat individua producere; nam juxta ipsius Auctoris principia, infinita numero individua, quae ex qualibet specie seriei illius infinitae existentiam nancisci valent, ad creatricem Dei vim in se spectatam minime pertinent. Et sane cum doceat idem ipse, prout in proxime praecedenti propositione observatum est, composita, vel corpora quaecumque nequaquam pertinere ad Dei vim creatricem in se spectatam; neque ad eandem pertinebunt singula singularum specierum individua, utpotequae et ipsa, ut plurimum composita sint, uti individua canum, equorum, boum, luporum, leonum, aliorum. Id quod inferius (*c*) etiam docet; nam sic loquitur: " Aliud „ est enim substantias procreare, longeque est aliud in certum eas ordinem re- „ digere, aut earum ope velle compositum quoddam conficere „: imo clarius se explicans, tradit, Corporum, vel compositorum modificationem non modo vi Dei Creatrici non subjici, sed et consequi eam penitus a viribus ingenitis elementorum, quibus in se mutuo agunt; ita quippe progreditur: " Modifi- „ catio, ex qua composita, vel corpora formantur, consequitur ipsa per se „ ab elementis altero in alterius proximitate quadam procreatis, quemadmo- „ dum antea etiam explicavi §. 362. „. Quamobrem si composita, prout sunt individua plurimarum specierum, non pertinent proprie ad vim Dei creatricem, si modificatio, ex qua individua istiusmodi composita formantur, consequitur ipsa per se ab elementis altero in alterius proximitate quadam procreatis; neque eadem composita importare poterunt in vim Dei creatricem,

(a) §. 367.
(b) *Vid. not.* 42. *in prop.* XXXVIII.
(c) §. 371. *pag.* 170.

alterum infinitatis gradum; adeoque hanc ob rationem ex ipsius Auctoris doctrina, nequibit divina vis creatrix dici infinities infinita, seu infinitum secundi ordinis. In quo praeterea animadvertatur volo, quam faede sibi Auctor contradicat; nam antea docuit, ad vim Dei creatricem in se spectatam minime pertinere individua composita: hic autem docet, vim Dei creatricem contingere, atque ad existentiam compellere individua, quae sunt, ut plurimum composita: quod perinde est ac affirmare, eadem ad creatricem vim divinam in se spectatam pertinere simul, et non pertinere: quod repugnat. Quid igitur is nugatur? Sed fortassis apparenter tantum sibimet Auctor contraire videtur, ut inferius expendetur.

47. Alterum porro, quod observatione dignum videtur, utique est distinctio, quam in creatricem Dei vim Mastrofinius invehere videtur; nam affirmare, vim Dei creatricem esse secundi Ordinis infinitum; perinde videtur, atque asserere, aliquam in ea inesse veri nominis distinctionem. Neque quis objiciat, distinctionem ejusmodi se tenere ex parte objectorum, quae a vi Dei creatrice attinguntur, non vero ex parte vis ipsius creatricis, quae in se est simplicissima. Nam cum ex hac doctrina praejacta iter sibi paret Auctor ad ostendendum inesse in Deo Trinitatem, seu tres personas realiter ab invicem distinctas; patet, distinctionem, quam adstruere in vi Dei creatrice videtur, non respicere distincta objecta, quae sunt extra Deum; sed afficere ipsam vim creatricem, quae in Deo inest essentialiter.

PROPOSITIO XLI.

„ *Ut substantia una quaecumque, vel individuum procreetur, infinita vis*
„ *requiritur. Infinita est enim superanda distantia, quae inter nihilum et*
„ *rem interjacet...* (§. 376. pag. 171.).

NOTAE.

48. Longius pergit Auctor, et postquam adstruxit, a Deo creari posse seriem infinitam unam substantiarum specie diversarum, et ex specie quavis seriei ejusdem compelli ad existentiam valere etiam individua numero infinita; hic addit, ad quamlibet rem unam seu individuum procreandum exigi infinitam vim. Quae quidem assertio nihil mali continet; revera quippe vis infinita necessaria est ad hoc, ut res a non esse ad esse transeat, seu ut tota res in suo esse producatur, quemadmodum omnibus certum est; adeoque creatio solius Dei esse potest, qui infinite potens est: non vero creaturae illius, utpote quae ut finitae entitatis est, ita et finitae virtutis. Sed ratio, qua id ad-

struit Mastrofinius, mihi non satis probatur, et videtur praeterea de Pantheismo suspecta. Primo namque ad creandam rem aliquam, vim infinitam postulari non exinde affirmandum est, quod infinita distantia inter rem, quae creari debet, et nihilum, ex quo illa debet educi, interjaceat; nam id omnino falsum est; finita namque res nonnisi finite distare potest a nihilo, ut apud Philosophos vulgare est, qui docent, rem finitam distare a nihilo tota latitudine suae realitatis, nimirum tot gradibus a nihilo rem differre, quot gradus habet realitatis, seu perfectionis, ut adeo res, quae ex. gr. quatuor realitatis gradus habet, per quatuor duntaxat graduum, et non plurium, intervallum, a nihilo disterminetur: Deum porro, qui infinitam habet realitatem, infinite pariter a nihilo distare. Falsam itaque verae propositionis rationem assignat Mastrofinius, et insuper aliquam ingerit Pantheismi suspicionem; nam si res quaevis creata infinite distaret a nihilo, concludi posset, eandem infinita realitate pollere; adeoque ipsam cum infinita Dei realitate misceri, ac confundi: quod sapit Pantheismum. Aliunde idcirco desumendae sunt rationes, quibus demonstretur, infinita vi opus esse ad rem aliquam e nihilo creandam, creationem propterea solius esse Dei, non porro creaturae cujuscumque. Quas quidem rationes suppeditat B. Thomas (*a*) in sua Summa Theologica, quasque consulat, qui velit; eas namque hic non exscribo, ne longius, quam par est, nostra excurrat oratio.

PROPOSITIO XLII.

„ *Exinde autem consequitur Creatricem Dei vim esse infinitum tertii* „ *ordinis* „ (§. 377. pag. 172.).

NOTAE.

49. Propositio isthaec propositionum XXXVIII. XL., et XLI. consectaria est. Eam namque ex tribus illis deducit hoc modo: „ Nam ea vis est infinities infinita, utpote quae de nihilo fabricari substantias possit infinities infinitas, §. 375. Jam vero, ut substantia quaecumque seriei hujus procreetur, infinita vis requiritur §. 776. Ergo ut creatrix Divina vis aestimetur, multiplicanda erit quantitas infinities infinita per infinitum: vel quod perinde est, creatrix Dei vis est infinitum tertii ordinis. Jam si mathematicum in modum loqui velimus; creatrix ea vis erit ∞^3 vel $1 \times \infty \times \infty \times \infty$. „ Haec ille. Gratias Deo, quod homo tandem adinventus sit, qui supra mortales reliquos efferens caput, cunctasque ingenii sui vires exerens, quanta sit,

(a) *I. p. q. 45. a. 5.*

vis divina creatrix, rationibus suis sublimioribus dimensus est! Sed quam male rationes hasce suas is subduxerit, et ex praecedentibus notulis nostris patet, et patebit adhuc uberius ex mox dicendis. Principio siquidem infinita Dei vis creatrix, seu omnipotentia, non ad unicam tantummodo, sed plures, quotquot videlicet sunt possibiles, series rerum specie differentium efficiendas, ut supra ostensum est (*a*), extenditur. Jam si pro serierum, quas creare Deus potest, numero, infinitatis gradus vi Dei creatrici sint tribuendi; ea ob solas rerum series, plurium ordinum, quot nempe serierum efficiendarum potens est, dicenda erit infinitum.

50. Deinde cum Deus posse dicitur unam, aut plures substantiarum specie distinctarum series procreare, actio ejusdem creatrix nonnisi individua, quae sub respectivis speciebus ad illam, aut illas series pertinentibus continentur, attingit; non ipsas species, quae ab individuis separatae, atque veluti praecisae non existunt, nisi in mente nostra. Atque propterea species considerandae non sunt tanquam naturae quaedam communes, quae a parte rei existant, et quarum participare debeant individua sub illis respective contenta, ita ut prius creandae sint species a Deo, et postea earum individua, actione distincta; sed una eademque actione divina, individua, illorumque species e nihilo producuntur: species quippe in individuis tantum existunt, et praeter individua nihil eaedem sunt; cum ipsae a mente nostra duntaxat efformentur, quae considerans proprietates eas, in quibus individua conveniunt, eas ab individuis ipsis abtrahit, et separatim contemplatur: quaeque mentis ipsius abstractio species Philosophis dicitur, definiturque *similitudo individuorum*. Quamobrem cum affirmamus, valere Deum e nihilo producere unam aut plures substantiarum series, significare volumus, Deum posse omnipotentia sua creare infinita numero individua vel substantias in suo esse subsistentes ex speciebus singulis ad illam, aut illas series spectantibus. Ergo ex eo quod Deus praeter seriem substantiarum specie differentium infinitam, creare quoque valeat individua, vel substantias multitudine infinitas speciei cujuslibet ad eandem seriem pertinentis, perperam omnino importatur a Mastrofinio in vim Dei creatricem secundus infinitatis gradus, perinde ac si series illa infinita substantiarum ab infinitis numero individuis sub specierum qualibet seriei ejusdem comprehensis reapse distingueretur, ac proinde si tum series illa, tum individua, distincta actione vis creatricis indigerent. Apparet igitur, quam perperam ac temere vim Dei creatricem tertii ordinis infinitum appellet Mastrofinius: quanto is rectius egisset, si nolens plus sapere, quam oportet, a caeterorum Theologorum, Patrumque loquendi ratione, Dei potentiam simpliciter, absoluteque infinitam vo-

(a) *Not.* 42. *et* 47.

cantium, non deflexisset, quin novis istiusmodi, suspectisque locutionibus tenebras in Theologiam inveheret, turbaretque fidem.

51. Sed porro etsi doctrina Mastrofinii ad veritates fidei explicandas translata, inepta omnino sit, atque absurda; si tamen ad entia simplicia, de quibus tantum se hic agere fatetur, eadem referatur, maxime sibi cohaerere dicenda est, ac apprime idonea. Nam cum juxta Mastrofinium nihil in Mundo existat, praeter elementa actuosa, horum modificationes, ac vim, qua ipsa elementa modificata pollent, exerendarum actionum: cumque elementorum ejusmodi infinita sit series homogenea, infinitus finitarum modificationum numerus ex ipsis valeat exoriri, visque similiter infinita sit, qua series illa diversimode modificata praedita est agendi; recte asserere is potuit, tres vi creatrici gradus infinitatis inesse, ut scilicet primum infinitatis gradum constituat series infinita substantiarum simplicium et existentium: alterum efficiat infinitus modificationum finitarum numerus: tertium tandem gradum infinitatis efformet vis illa infinita, quae infinitis simplicibus entibus diversis rationibus affectis natura inest actionum promendarum; utque propterea exinde vis creatrix infinitum tertii ordinis dici mereatur. Qua quidem doctrina nescio an aliquid tetrius, atque horrentius valeat per hominem ad maximum rationis dedecus excogitari.

52. Atque hinc esse puto, cur Mastrofinius non aliam in Deo vim, quam creatricem, videatur agnoscere. Id enim ex sua animadversione, quam (a) subjicit, aperte colligitur. Sic enim loquitur: „ Diligenter autem cavendum „ est, ne temere multiplicemus vires, quibus Deus agit extrorsum. Ex. ca. „ Misericors est Deus, ac misereri simplicium entium posset, individuis in- „ finitorum, non specie tamen: cum proprie misericordia dicatur tantummo- „ do erga eos exerceri, qui ratione utuntur. Itaque fingi posset in Deo alia „ vis infinita, atque differens a prima, qua foris operatur. Quod fieri certe „ non debet. Quid est enim Deum esse misericordem, nisi tribuere entibus „ ea quibus egent, vel eisdem vices rependere bonorum operum, quibus oc- „ cupantur? Tribuere autem entibus ea quibus egent, quid est aliud quam „ creationis, vel continuatae creationis, nempe conservationis ope, apponere, „ vel parare ea quibus utantur? Praemia vero distribuere vel prope est idem, „ vel est iterum, ope continuatae creationis, nempe conservationis transferre „ in alium locum entia, seque iis praebere conspiciendum, roborata eorum „ mente quo videre Deum possint. Quae mentis affectio, et firmitas iterum „ producitur creatrice Dei vi; cum has producere sit existendi modum affice- „ re affectamque substantiam in existentia continere. Ut proinde divinae mi- „ sericordiae usus, applicatio sit quaedam Divinae vis creatricis. Dic idem de

(a) §. 379. *pag.* 174.

„ bonitate Dei, caeterisque viribus, quibus extra se Deus operari concipitur; „ patebitque singulas ad unam esse vim creatricem implicatas„. Hactenus ille. Ex qua Mastrofinii doctrina fit manifestum, attributa Dei, quae ad Creaturas relationem habent, ad unam omnia revocari vim creatricem; adeoque praeter creatricem hanc vim, nihil in Deo esse reliquum, quo res extra se attingat; proindeque Deum ipsum, sive misericordiam erga miseros exerceat, sive erga sontes severitatem: sive praemia bonis largiatur, sive malis supplicia decernat: sive praedestinet, sive reprobet: sive bonos amore, sive odio malos prosequatur: sive creaturas gubernet, sive iisdem provideat: sive mysterium aliquod revelet, sive tandem rebus praesens sit omnibus; unam exerere vim creatricem. Quare dici debet quoque, Deum creare, dum miseretur, dum punit, dum amat, dum odio habet, dum caetera creaturis praestat. Quae profecto loquendi ratio, ut in Theologia penitus inaudita est, ita est et falsissima, de erroreque suspecta. Nam quamvis, ut fide constat, Dei attributa neque ab Essentia, neque inter se realiter distinguantur, tanquam plures res, seu entitates diversae, secus enim Deus neque simplicissimus foret, neque omnino independens: non esset simplicissimus, quia componeretur ex essentia, et attributis, quia cum sint haec intime conjuncta, esset distinctorum unio, quae praesefert utique compositionem: non foret autem omnino indipendens, quia esset rursus Ens compositum ex perfectionibus, ac essentia, ideoque ab istis tamquam a partibus, e quibus componeretur, dependeret: quae quidem duo Deo repugnant; nihilominus aliquam dari distinctionem inter attributa, et Essentiam, ac inter attributa ipsa inter se, conveniunt omnes Theologi. Scotistae formalem tuentur ex natura rei: caeteri vero, forte probabilius, distinctionem virtualem, seu rationis, ut ajunt, ratiocinatae, et cum fundamento in re, admittunt; quia, inquiunt, tametsi Deus una sit, atque simplicissima Res; est tamen virtualiter multiplex, et pluribus in rebus realiter distinctis perfectionibus aequivalet; adeoque Essentia divina sine attributis, et attributum unum sine alio a nobis concipi potest; cujuscumque siquidem attributi notio, vel conceptus diversus est ab Essentiae, vel alterius attributi conceptu, vel notione, ob imperfectam videlicet, finitamque nostram intelligendi rationem. Ita tamen, (addunt) attributa divina inter se, et ab Essentia distinguuntur, ut Essentia in suo conceptu implicite includat attributa, et includatur ab illis, et attributum quodvis caetera similiter includat; quia quidquid in Deo concipitur, concipi debet simpliciter in genere Entis infinitum, adeoque ut omnem perfectionem in eo possibilem, actu, saltem simplicite, includens. Exinde porro inferunt, Essentiam divinam, et attributa de se invicem praedicari tum in concreto, tum in abstracto in sensu reali identico, et formali, seu virtuali implicito; sic vere dici: „ Deum esse bonum, justum, viventem, providum, sapientem „ et: Deum

esse bonitatem , justitiam , vitam , providentiam , sapientiam . Ratio est, quia haec omnia sunt quid unum realiter identice . E contra vero de se invicem non praedicari in sensu formali, seu virtuali explicito ; ita hoc sensu falsum dici : Intellectum esse voluntatem , misericordiam punire , vim creatricem esse justitiam etc. , quia hoc sensu distinguuntur . Quocirca apparet 1. falsam esse doctrinam Mastrofinii affirmantis , omnes Dei perfectiones , quae ad creaturas referuntur , ad unam tantum vim creatricem implicatas esse , ab eaque propterea nonnisi nomine tenus distingui, adeoque misericordiam , justitiam , bonitatem, providentiam , caeteras , non esse , quam vim creatricem diversis nominibus significatam . Apparet 2. doctrinam istiusmodi de errore Aëtii , et Eunomii nullam inter essentiam , et attributa, nisi nomine tenus distinctionem interesse affirmantium , vehementer suspectam esse .

53. Nec mirum autem videri poterit , per Mastrofinium , Dei misericordiam , justitiam , bonitatem , providentiam , caeteras , cum una vi creatrice confundi ; cum etiam Sancti Spiritus a Patre Filioque processionem eidem uni vi creatrici acceptam referendam doceat . Id quod et supra (*a*) asseruit ; prout observavi (*b*) : et confirmat (*c*) hisce verbis : " Etenim ex his (nimirum ex iis , quae in prima lucubranda demonstratione tradiderat) " apparet , divinum agendi prin-
„ cipium , seu vim (scilicet creatricem , de qua tantum hoc in loco agit) in
„ tribus peraeque personis contineri: in postrema quidem perinde ut in termi-
„ no interiore, et proprio , qui ab agendi vi illa proficiscitur : in prioribus autem
„ perinde ut illis , quae vim applicant ad terminum hunc proferendum . . . . . Prae-
„ terea vim eam in superiori libro esse ejusmodi diximus , quae dum exter-
„ ne refertur , vel operatur , contingentes procreat substantias „ . Vides , juxta Mastrofinii doctrinam , ab eadem agendi vi illa , quae dum externe refertur , vel operatur , contingentes procreat substantias, proficisci Spiritum Sanctum , ceu terminum interiorem , et proprium ; adeoque unam eandemque vim esse a parte rei , et qua ab intra producitur Spiritus Sanctus , et qua creaturae producuntur ad extra . Quo quid a fidei veritate effutiri poterit magis alienum ? Quidque propius Pantheistarum insaniae confingi valebit ? Et hic (quod obiter animadvertendum volo) non video , quomodo Mastrofinius valeat affirmare , Spiritui Sancto , qui ab agendi vi creatrice , uti terminus interior , et proprius proficiscitur , seu producitur , vim eandem creatricem aeque ac Patri , et Filio , communem esse , seu in eodem contineri posse ; nam cum fides doceat , spirationem activam , quae in Patre tantum Filioque inest , quaque uterque , ceu unum principium , Sanctum producit Spiritum , huic non communicari , adeoque Personam Tertiam esse in Trinitate infaecundam , hoc est ab ipsa , Personam aliam

(a) §§. 315. , *et* 338.
(c) §. 383. *pag.* 175.

(b) *Vid. not.* 34. *in prop.* XXXVI.

2

non produci, seu spirari; apparet, haeresim esse, sive asseratur cum Mastrofinio, vim, a qua proficiscitur Spiritus Sanctus, et procedit, in eodem peraeque, ac in Patre, Filioque, contineri; quia sic Persona Spiritus Sancti a Personis Patris, ac Filii minime distingueretur, cum tolleretur relationis oppositio, praeterquam, omnia in divinis sunt unum et idem: sive affirmetur, eam vim in Spiritu Sancto non contineri. Etenim cum vis illa, per quam procedit Spiritus Sanctus, a Mastrofinio cum vi creatrice confundatur; consequens inde foret, Spiritum Sanctum creandi potentia cariturum. Praeterea affirmare, vim creatricem contineri in Spiritu Sancto periude ut in termino interiore et proprio, qui ab ipsa creatrice vi proficiscitur, tanti est, ac dicere, et in contingentibus substantiis eandem vim creatricem similiter contineri; quia et ipsae terminus existunt, quamquam exterior, vis creatricis, a qua eaedem proficiscuntur.

PROPOSITIO XLIII.

„ *Ergo divina substantia est infinitum tertii ordinis* „. (§. 385. pag. 196.).

NOTAE.

54. Postquam Mastrofinius affirmavit, vim Dei creatricem esse tertii ordinis infinitum, affirmat praeterea (*a*), creatricem hanc vim, unam eamdemque rem esse cum divina substantia. Posthaec concludit, divinam substantiam esse pariter infinitum tertii ordinis. Ita namque consectariam propositionem hanc probat: " Nam vis Dei creatrix est infinitum tertii ordinis §. 377. . Cumque „ vis Dei creatrix idem plane sit cum divina substantia §. 384., fit inde per- „ spicuum divinam quoque substantiam esse infinitum tertii ordinis vel gradus, „ ut Mathematici solent appellare „. Jam primo ea, quibus oppugnatur Mastrofinii propositio, qua dicitur, vim Dei creatricem esse infinitum tertii ordinis, eadem peraeque faciunt adversus praesentem propositionem, qua is affirmat, divinam substantiam esse tertii ordinis pariter infinitum; adeoque sicuti vim Dei creatricem falso appellat Auctor infinitum tertii ordinis; ita similiter fallitur, dum ejusmodi quoque vocat divinam ipsam substantiam.

55. Deinde haec propositio novitatem profanitatis plenam praesefert; post hominum siquidem memoriam nemo unquam nedum ex Ecclesiae Patribus, ac Theologis, sed et ex ipsis ethnicis Philosophis, Dei naturam vel substantiam infinitum tertii ordinis ausus est nuncupare. Ea propter vel ob hanc tantummodo rationem ea propositio digna videtur, quae Ecclesiae fulmine percella-

(a) 382. *pag.* 175.

tur, prorsusque abdicetur. Rationis hujusce nostrae vim sentiens Mastrofinius, sibi ideo arma parat, quibus, veluti objecta nube, tegat se, si forte cum Catholicae veritatis amatore, ac defensore rem agat. Ita namque scribit (*a*): „ Loquendi haec forma, qua dicimus Divinam substantiam esse infinitum tertii ordinis videri poterit nova ob idque ipsum abdicanda. Quae tamen erit „ nova perinde ut nova sunt quoque vocabula Omousios, Theotócos, Transubstantiatio, et caetera ejusmodi „. Sed imprimis quis non mirabitur Mastrofinii frontem, qui ut profanam vocum, quas adhibet, novitatem tueatur, a vocibus per Ecclesiam Catholicam ad fidei dogmata nitidius explicanda, et securius ab haereticorum cavillationibus defendenda consecratis, exemplum ducit, easdem perinde, ac suas ipsius, novas esse obganniens. Atqui primo falsum omnino est, vocabula illa Omousion, Theotócon, Transubstantiationem, nova esse, ut vult Mastrofinius; vetustissima quippe eadem sunt, et ab apostolica forte traditione ad nos usque transmissa. Et sane, ad vocem *Omousion*, quod spectat, illam adhibet (circa ann. 203.) Tertullianus initio libri quem scripsit contra Praxeam: Pamphylus Martyr in Apologia eandem usurpat: S. Dionysius Alexandrinus in sua adversus Paulum Samosatenum epistola ita de Christo Jesu Salvatore loquitur: " Illum, qui erat natura Dominus, et Verbum Patris, quem Sancti Patres Consubstantialem (Ὁμοούσιον) Patri vocaverunt „. In quibus Dionysii verbis sedulo animadvertendum est, ipsum, qui tertio Ecclesiae saeculo ad medietatem vergente florebat, scribere, a sanctis Patribus, qui eum aetate praeiverant, Christum Patri Omousion, seu Consubstantialem vocatum esse: quod certo argumento est, eam vocem esse ipso Dionysio antiquiorem, et vel ab Ecclesiae primordiis ad Filii Divinitatem exprimendam usurpatam fuisse. Synodus Antiochena (ann. 266.) celebrata vocem *Omousion* expresse adhibet; ita siquidem Patres, qui ad eam Synodum convenerant, profitentur in Symbolo (*b*): " Confitemur Dominum nostrum Jesum Christum ex „ Patre quidem secundum spiritum ante saecula genitum; novissimis vero temporibus ex Virgine secundum carnem natum...... totum Deo Omousion „ etiam cum Corpore, sed non secundum Corpus Deo Omousion „. Tandem magnae Nicenae Synodi I. Patres, ut Arianos ad fallendum compositos arctius constringerent, omnemque ipsis amplius evadendi rimam praecluderent, vocem *Omousion*, qua significatur, Filium eandem numero essentiam, seu substantiam habere, quam Pater habet; et essentiam, substantiamque Filii simul esse substantiam, et Essentiam Patris, et utriusque non duas, sed unam numero Essentiam esse, atque substantiam: vocem, inquam, *Omousion* consecrarunt, tan-

(a) §. 388. *pag.* 177.

(b) *Sub. tit. De Incarnatione Verbi Filii Dei Patris decreta Episcop. in Synodo.*

quam " columnam (verbis utor Athanasii in Epist. de Syn.) , et cippum, quo „ arianorum impietas proscribitur , et velut tropheum de ea superata statuitur „ . Quod porro attinet ad vocabulum *Theotócon* , illud similiter antiqui Patres , usurpant : Laudatus S. Dionysius Alexandrinus in cit . epist. adversus Paulum Samosat . expresse B. Mariam Virginem , Deiparam appellat , nempe *Thèotócon* : S. Gregorius Nazianz. (*a*) ita loquitur : " Si quis Sanctam Mariam Deiparam „ (Theotócon) non credit , extra divinitatem est „ . Theotócon Mariam vocat (*b*) Sanctus Cyrillus : vocant Atticus Antiochus , Amphilochius , Chrysostomus , alii , quorum testimonia collegit , ac refert in citato libro de recta fide Cyrillus. De verbo tandem *Transubstantiatione* dicendum quod venit, id neque novum esse , neque noviter , ut obganniunt haeretici , a Concilio Lateranensi IV. excogitatum , inde liquet , quod illud legitur in vetusta Fidei professione Albigensium , quam refert Baronius ad ann. 1178: legitur in Epistola Ganfredi relata ab eodem Baronio ad ann. 1188. legitur apud Stephanum Eduensem in tractatu de Sacramento Altaris cap. 13. anno 1160. vel juxta alios, anno 950. Verum est autem , apud antiquiores Scriptores vocabulum ejusmodi non reperiri ; sed argumentum hujusmodi cum negativum sit , nihil de illius vocabuli novitate probare potest : et aliunde credi vix potest , scriptores eos , qui Transubstantiationis vocabulum usurparunt , suo marte illud fuisse fabricatos , cum potius idem a majoribus accepisse id suadeat , quod hi , quamvis transubstantiationis vocem expresse non adhibuerint ; per alias tamen voces eandem significationem habentes , expresserunt mirabilem illam totius substantiae panis in substantiam Corporis Christi , et totius substantiae vini in substantiam Sanguinis ejusdem conversionem ; eandem modo mutationis , modo conversionis , nunc transmutationis , interdum transelementationis , quandoque denique substantialis transmutationis vocabulis significantes . Patet itaque, a Mastrofinio, ut profanam suam novitatem tueatur , tria illa , quae in exemplum adducit , vocabula , Omousion , Theotócon , Transubstantiationem , nova temere , perperamque vocari .

56. Caeterum , tametsi ea vocabula novitatem praeseferre concederemus ; non tamen Mastrofinii caussam id juvaret . Quandoquidem illa , non a privato aliquo Auctore , sed adhibita sunt , et consecrata ab ipsa Catholica Ecclesia , cujus solius est , cum bonum fidei id exposcit , novas inducere loquendi formas , quibus novae erumpentes haereses validius profligentur , penitius excindantur haereticorum sophismata , et antiqua fides securius sarta tectaque conservetur . Et quidem , vocabulum *Omousios* , in Concilio Oecumenico Niceno I. a trecentis illis decem , et octo Patribus , ut vidimus , adversum Arianos sole-

(a) *Orat.* 31. (b) *Lib. de recta fide.*

moniter consecratum fuit, atque firmatum: Alterum, hoc est *Theotócos*, a duobus Conciliis item Oecumenicis Ephesino (*a*), et Chalcedonensi (*b*), contra Nestorium adhibitum est: Tertium tandem, nempe Trantubstantiationem, a quatuor similiter generalibus Conciliis, Lateranensi IV., Constantiensi (*c*), Florentino, ac demum Tridentino (*d*), legimus usurpatum. Verumtamen sublimioris metaphysicae doctrina ab homine nobis traditur, non ab Ecclesia nos eandem docemur. Ut quid ergo ipse, Auctor privatus cum sit, novas loquendi formas, in Mysteriorum penitissimum, in quo, quam usquam alibi, ut animadvertit Augustinus (*e*) „ periculosius erratur, potestque et in verbis haeresis „ reperiri „. importandi sibi jus arrogat; praesertim cum nulla, eum cur ita se gereret, caussa coegerit? Enim vero cum sophismata, quibus veteres Fidei hostes oppugnare Trinitatis Mysterium sategerunt, per recentiores refricata incredulos, a Religionis nostrae Apologistis Bergierio, Nonnotio, Fellerio, aliisque quamplurimis Viris clarissimis funditus sint eversa, atque dissipata: cumque nihil novi posthac, quo posset tam grande Mysterium obnubilari, sit per Fidei Christianae perduelles excogitatum; nulla profecto Mastrofinio ratio suppetebat novas loquendi formas, cum de Trinitate agitur, usurpandi: et a quibus utique temperasset, si prae oculis habuisset B. Augustini gravissimam sententiam illam (*f*): „ Nobis ad certam regulam loqui fas est, ne verborum li„ centia etiam de rebus, quae his significantur, impiam gignat opinionem „. Certe hisce nostris temporibus potissimum longe miserrimis, quibus bene multi in hypocrisi loquentes mendacium, et sub ovina pelle lupinam rabiem occulentes, ubique grassantur, ne ab iis decipi sinamus, ob oculos habere continuo debemus sanctissima illa Pauli verba, quibus in suo Timotheo omnes Christi Fideles instruebat, monebatque (*g*): „ O Timothee, depositum custodi, de„ vitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae, „ quam quidam promittentes circa fidem exciderunt „.

57. Sed instat Mastrofinius, affirmans (*h*) „ nihil prohibere, quominus loquen„ di forma (qua dicitur divinam substantiam esse infinitum tertii ordinis) adhi„ beatur; nam quamvis nova sint nomina, non esse tamen novam iis affixam no„ tionem: nihil quippe aliud eam formam exprimere, quam inesse in Deo Tri„ nitatem „. Sed esto, quod ei loquendi formae vera notio, et antiqua subjecta sit; sua nihil intererat omnino ita loqui, quia nulla ita loquendi ei ratio praesto erat, et Scriptor praeterea privatus est; nam res, quae ad fidem pertinent,

(a) *cap.* 1.
(b) *Actione* 5.
(c) *Sess.* 8.
(d) *Sess.* 13. *Can.* 2.
(e) *Lib.* 1. *de Trinit. c.* 3.
(f) *Lib.* 10. *de Civ. Dei cap.* 23.
(g) 1. *Tim. c.* 6. *v.* 20., *et* 21.
(h) §. 388.

non ad libidinem privatorum explicandae sunt: sed per Ecclesiae duntaxat Catholicae, quae in his juxta Christi promissionem errare non potest, magisterium. Atqui vero ne id quidem Mastrofinio concedam, nimirum ei formae veram, et antiquam notionem, esse scilicet in Deo personarum Trinitatem, affixam esse. Etenim tum ex iis omnibus, quae usque modo dicta sunt, manifestum est, quantam lectoribus suspicionem ingesserit, se non de Divina Trinitate, sed de simplicibus Entibus in toto Opere fuisse loquutum; tum id confirmat ex iis, quae in ostensionem propositionis suae confestim subnectit, rotunde asseverans, se de simplicibus Entibus tantummodo verba nunc facere. Ita quippe, secundum allatae propositionis argmentum construens; orationem persequitur: „ Dum simplicia Entia considerantur, de quibus nunc tantum habendus est sermo, finita vis poscit sibi finitam quoque simplicem substantiam. „ Nam si posceret infinitam substantiam; foret substantia haec infinita simul, „ atque finita, quod penitus repugnat. Praeterea vis infinita sibi postulat infinitam simplicem substantiam; ne si finita haec sit; iterum una eademque „ simplicissima substantia esse uno tempore debeat finita, atque infinita: quae „ duo componi prorsus nequeunt. Quibus addendum est, communi hominum „ sensu veritatem hanc approbari: ob idque factum esse ut homines cum Divinae substantiae vim antea conceperint infinitam, substantiam quoque ipsam „ infinitam putaverint: et qui substantiam hanc respexerint omnino ut infinitam, ejus quoque vim infinitam censuerint . . . . Quapropter vere dici poterit esse finitam vim ad infinitam in simplicibus substantiis; quemadmodum „ finita simplex substantia ad infinitam simplicem substantiam. Nunc ultra feror ac „ ajo: finita vis habet se ad vim infinitam primi ordinis, quemadmodum vis infinita „ primi ordinis, ad infinitam vim secundi ordinis, quemadmodum secundi ordinis „ infinita vis haec ad alteram infinitam tertii ordinis. Atqui finita vis in simplicibus „ substantiis postulat finitam simplicem substantiam: vis infinita postulat infinitam „ simplicem substantiam; ergo secundi ordinis vis infinita, sicubi solitarie spectata in substantia ulla simplici reperiri posset, vel reperiretur, efflagitaret „ sibi substantiam, quae secundi sit ordinis infinita: ac vis infinita tertii ordinis omnino postulat substantiam infinitam tertii ordinis, quamquam simplicissimam, in qua vigeat „. Et post pauca, ut ostendat, divinam substantiam esse infinitum tertii ordinis non modo relate ad subjecta a Deo diversa, verum etiam prout ipsa in seipsa spectatur, sic pergit (a): „ Certum est interiorem vim augeri, et intendi pro magnitudine rerum, quas posset efficere uno eodemque actu, siquidem res paterentur. Prout autem vis intenditur, ita et substantiae perfectio, nimirum substantia ipsa, quae in simplici-

(a) §. 386. *pag.* 177.

„ bus Entibus eadem est ac vis horum propria, maxime de Deo cum loquimur „.

Jam, quid hoc est tam novum, ac insolens, ut ad Dei naturam, et vim explicandam, ex vi naturaque simplicium Entium perpetuo argumentum Mastrofinius ducat? Nunquid par, juxta eum, aut eadem erit Dei, et substantiarum simplicium natura, ac vis, ut ex utraque, pari aut eadem ratione concludi queat? Certe, ut aliquam Mastrofinii ratiocinationibus inesse vim dici posset, oporteret, ut vel cum Dei natura, eadem foret natura simplicium Entium, aut illius haec saltem naturalem similitudinem quamdam praeseferrent; nam secus a diversis, dissimilibusque naturis, idem, aut simile confici argumentum nequiret. Posterius dicere, absurdum et, et Dei naturae adversum: absurdum quidem; nam cum Dei vim, naturamque, atque naturam et vim simplicium Entium, infinitum intersit intervallum; nulla inter utramque naturam, ac vim reperiri similitudo valet, ut ex altera ad alteram consimili ratione concludatur: adversatur autem Dei naturae, cum eam deprimat vehementer nam ea ob id ad naturam simplicium Entium, seu materiae elementorum, atque conditionem transfertur, ac dejicitur. Prius vero asserere manifestam pantheismi impietatem prodit; quandoquidem si simplicium Entium, et Dei una eademque sit natura, una pariter ac eadem erit universalis in Mundo substantia, hoc est entia simplicia, horumque limitationes, finitaeque modificationes, quae creaturas constituunt. Et hic, ni fallor, esse videtur obvius auctoris sensus, etenim, si, cum de Deo hic loquatur, de simplicibus entibus se tantummodo habere sermonem protestatur; consequens inde est, ut pro una eademque re, tum Dei, tum simplicium Entium naturam ipse habeat: alioquin, si naturam illius ab istorum natura diversam omnino, secretamque is agnosceret, falsum utique dixisset, sive affirmando, de Entibus simplicibus sermonem se habere, cum agat de Deo, sive asserendo, de Deo trino et uno pertractare se velle, cum de simplicibus entibus se agere sit hic protestatus. Quae cum sint, apparet, non ita constare, prout Auctor praefidenter asseverat, formae illi, quae enunciat, divinam substantiam esse infinitum tertii ordinis, veram et antiquam notionem, esse videlicet in Deo Trinitatem Personarum, subjectam esse; cum ex hactenus disputatis oppositum potius innotescat. Quapropter nova illa, ac profana loquendi forma metuenda est maximopere, prorsusque ob omnem rationem abdicanda est, ac rejicienda. Sed jam ad tertiam demonstrationem examini nonnihil subjiciendam descendamus.

PROPOSITIONES EX TERTIA DEMONSTRATIONE MASTROFINIANA DE TRINITATIS EXISTENTIA.

PROPOSITIO XLIV.

„ *Qua re constituta , jam inquam , Divinae Gloriae manifestationem esse* „ *finem , quo Deus perductus est ad creationem absolvendam* „ (§. 449. 203.) .

NOTAE.

58. Tertiam exordiens Mastrofinius de Trinitatis existentia demonstrationem , imprimis statuit (*a*) , Deum sibi finem aliquem , cur Mundum procrearet , proposuisse ; secus ad creationem ineundam aut necessario , aut temere se contulisset : quod , ut recte dicit , est utrumque falsissimum . Deinde statuens quoque (*b*) , Deum posuisse semetipsum tanquam finem creationis ineundae , allatam figit propositionem , qua affirmatur , finem , quo Deus perductus est ad creationem absolvendam , esse manifestationem suae gloriae , seu divinarum suarum perfectionum : quae quidem propositio veluti basis est , cui tota innititur tertia haec demonstratio Trinitatis . Jam , etsi plurimi recentiorum Philosophorum , etiam ii , qui vere Catholici sunt , in eam sententiam concedant , ut arbitrentur , finem creationis mundi esse divinae Gloriae manifestationem ; quoniam nihilominus diversimode ejusmodi propositio accipi potest , idcirco nonnihil de ea commentandum ratus sum , tum ut quae in decursu demonstrationis Auctor edisserit , penitius perspiciantur , tum ut praecaveantur errores , qui ex prava propositionis ejusdem intelligentia oriri possent . Quamvis itaque concedatur , finem Dei in rerum creatione fuisse gloriae suae manifestationem ; finis tamen hic , motivum quoque agendi , respectu Dei ipsius esse non potuit ; quoniam Deus neque ad operandum simpliciter , neque ad agendum hoc vel illo modo , a re ulla externa dependet . Quare licet manifestatio divinae gloriae finis esse ponatur in Mundo e nihilo condendo a Deo sibi praestitutus ; haec tamen Dei gloria motivum quoque recte dici nequit , quo excitatus ipsemet Deus fuerit ad hanc rerum universitatem creandam . Nam cum summa in Deo , ac perfectissima insit essentialiter beatitudo ; haec ab effectibus , quos extra se producere valet , ne vel minimum quidem dependet , adeoque neque creaturarum ob-

(a) §. 444. *pag.* 201.

(b) §. 446. *pag.* 202.

sequiis, cultuve indiget Deus, unde aliqua felicitati ejus, vel gloriae fiat accessio, cum beatus peraeque sit, sive a creaturis laudes recipiat, sive non: secus, aut quidquam omnimodae perfectioni ejus, ac beatitudini, ante Mundi creationem, defuisset, aut debuisset creare Mundum ab aeterno, si gloria ex ejusdem creatione resultante eguisset: quod utrumque impium est cogitare, nedum asserere. Haec Mastrofinium, utpote acutissimum, animadvertere, ac adnotare oportebat, ne ullam lectoribus ambiguitatem objiceret, erroris que vel optimistarum, vel fatalistarum occasionem praeberet. Praeterea et alius sensus ejusmodi propositioni subesse valet, ut scilicet per divinae gloriae manifestationem intelligi etiam queat evolutio, seu extractio, productio, vel explicatio divinae substantiae: qui quidem sensus congruit cum doctrina Persarum quorundam Philosophorum, qui, ut refert Bernierius (a), Deum unam quidem, eandemque realitatem esse cum Mundi rebus profitebantur, ajebantque imo, res easdem omnes esse ipsissimum Deum; existimabant nihilominus ea tantum ratione ad Deum pertinere res universas, quia per divinae substantiae emanationem producuntur, perinde ut telae, quas e sinu suo aranea educit, ad ejusdem substantiam pertinent. Istorum vero sensuum utrum spectaverit Mastrofinius, ex dictis adhuc, pariterque dicendis difficile haud erit divinari.

59. Sed esto, quod Auctor priorem suae propositioni, non posteriorem sensum affinxerit; non video tamen, quonam pacto ex praejacta ejusmodi propositione ad ostendendam in Deo Personarum Trinitatem progredi valeat. Nam Mundi hujus, quem conditum a Deo ad ostensionem suae gloriae Mastrofinius affirmat, pulchritudo, concentus, ordo, atque varietas, divinae quidem sapientiae, bonitatis, providentiae, ac potissimum omnipotentiae testimonium perhibent; ast nequeunt haec omnia ad Trinitatem ita intelligendam nos ducere, ut eadem vere demonstrata dici possit, ratione naturali; cum enim sapientia, providentia, bonitas, omnipotentia, caeteraeque Dei perfectiones, quae ex hujusce rerum Universitatis intuitu nobis innotescunt, sint toti Trinitati communes, pertinentque proinde, ut docet (b). B. Thomas, ad unitatem essentiae, non ad distinctionem personarum; hinc liquido apparet, ex contemplatione creaturarum, quae Dei gloriam, id est, omnipotentiam, sapientiam, bonitatem, providentiam enarrant, non posse a nobi certo cognosci, et demonstrari ea, quae ad Trinitatem pertinent personarum, sed ea tantummodo, quae essentiae unitatem respiciunt.

60. Idipsum et sacrae litterae insinuant; ait enim Apostolus (c): „ Invisibi-
„ lia enim ipsius (Dei) a creatura Mundi, per ea, quae facta sunt, intelle-

(a) *Suite des Memoires per l'Empir du Grand Mogoul pag.* 202.
(b) 1. *p. quaest.* 22. *art.* 1. (c) *Rom.* 1. *v.* 20.

„ cta conspiciuntur : sempiterna quoque ejus virtus, et Divinitas „. Quae verba ex Patrum sententia ita explicat Jacobus Tirinus (a) „: Ex his enim, adhibito solo lumine naturali, quod cuique indidit Deus, intellecta, seu per „ discursum intellectus, conspiciuntur invisibilia Dei, idest, ea quae alioquin „ nec videri, nec alio sensu percipi possunt ab homine. Talia sunt perfectio- „ nes divinae, sapientia, bonitas, pulchritudo, justitia etc. Sempiterna quoque „ ejus virtus, seu potentia, qua omnia creavit, gubernat, et ad finem cui- „ que proprium deducit. Item Divinitas, idest divina Essentia, excellentia, „ et Majestas „. Haec ille. Atqui porro tum Dei attributa generatim, nempe sapientia, bonitas, justitia, caetera, tum praesertim ejusdem omnipotentia, tum ipsius Divinitas, de tribus peraeque Personis praedicantur, earumque naturam, quae una est numero, humano intellectui ostendunt. Quamobrem apparet, ex creatis rebus ejusmodi argumentum trahi unquam haud posse, quo Personarum Trinitas vere demonstretur; cum ex ipsis relationes illae, quibus Personae et distinguuntur, et numerantur, certo nobis minime innotescant. Probabiles ad summum rationes aliquae ad Trinitatem, supposita de ejusdem existentia revelatione, suadendam, atque illustrandam desumi ex Creaturis queunt; quandoquidem, cum juxta S. Thomae (b) doctrinam „ In creaturis rationabili- „ bus, in quibus est intellectus, et voluntas, inveniatur repraesentatio Trini- „ tatis per modum imaginis, in quantum invenitur in eis verbum conceptum, „ et amor procedens: in caeteris vero creaturis repraesentatio itidem Trinita- „ tis inveniatur per modum vestigii, in quantum in qualibet creatura inve- „ niuntur aliqua, quae necesse est reducere in divinas Personas, sicut in caus- „ sam „; perspicuum profecto est, valere humanam mentem fide exultam, si- „ militudinibus variis, probabilibusque rationibus ex creaturis petitis penitissimum Mysterium hoc exprimere ac suadere: oppositasque adversariorum rationes solvere, ac confutare. Neutiquam vero ex creaturis ipsis ad demonstrationem Trinitatis conficiendam, quae intellectum necessario percellat, et ad eidem assentiendum pertrahat, etiam revelatione praeeunte, pervenire unquam valemus; cum characteres illi, seu notae, per quas Personae divinae, salva numerica earundem naturae unitate, ab invicem distinguuntur, nequaquam a nobis certo cognoscantur. Scio, a Mastrofinio (c) aliter exponi allatum superius Pauli testimonium; probare namque is nititur, per invisibilia Dei, attributa quidem intelligi, hoc est sapientiam, bonitatem, justitiam, caetera: virtutis vero nomine non potentiam, qua Deus omnia e nihilo creavit, gubernat, et ad suos fines dirigit, significari, prout omnes hactenus Doctores Catholici in-

(a) *Comment. in Epist. ad Rom.*

(b) 1. *p. q.* 45. *a.* 7.

(c) §. 631. *pag.* 178. 179. 180.

terpretati sunt; sed exprimi interiorem divinam actionem, prout immutabili, et proprio affecta est termino, videlicet Spiritum Sanctum: ac similiter Divinitatis vocabulo significari Principium intimum, cur Deus existat, et id quod rationem existentiae habet ab eo principio consequutae in divina substantia, nimirum Patrem et Filium; non vero divinam Essentiam, seu naturam intelligi, quatenus tribus ex aequo Personis communis est, prout semper Ecclesia Catholica intellexit: ut adeo, dum pronuntiat Apostolus, per ea quae facta sunt, intellecta conspici posse invisibilia Dei, ejusque virtutem, ac divinitatem, nedum juxta Mastrofinium loqui de attributis Paulus ipse videatur, sed ipsas divinas personas respicere. Sed scio etiam, Mastrofinium, dum ita in Scripturis explanandis se gerit, vestigiis illorum inhaerere, qui id quod proferunt, non ad Scripturarum, juxta sensum, quem tenet Sancta Ecclesia Mater, regulam exigunt; sed scripturas ad sua ipsorum cogitata fulcienda, et confirmanda, vel invitas trahunt: proindeque non Scripturis catholice intellectis aptant, quod sentiunt; sed ad id, quod excogitarunt ipsi, communiendum, Scripturas detorquent. Quod et pluries a Mastrofinio factitatum esse, legenti opus ipsius patebit. Sed in iis detineri nos minime necesse est, cum alio nostra conspiret oratio. Id tamen vel per transennam exemplum in medium attulisse nos, supervacaneum non fuit, ut Mastrofinii doctrina magis magisque patesceret.

PROPOSITIO XLV.

„ *Igitur Divinae gloriae manifestatio prorsus adaequata, scilicet revelatio divinorum attributorum ita conformata, ut adamussim patefiant illa, et cognoscantur, quantopere possunt patefieri atque cognosci, nempe revelatio sic instituta divinorum attributorum sive divinae naturae, ut nihil usquequaque supersit declarandum sive revelandum, et agnoscendum, putanda erit bonum esse infinitum* „ (§. 464. pag. 208.).

NOTAE.

61. Haec proposito consectaria est alterius (*a*) praejactae, qua affirmat, divinae gloriae manifestationem quidquam esse boni; unde infert, manifestationem prorsus adaequatam, et numeris omnibus absolutam esse bonum infinitum: additque, manifestationem ejusmodi fieri extra Deum nequire (*b*) „ quamquam „ ita (Deus) in creationem niteretur, ut quidquid est substantiarum exhau„ riret „; adeoque „ inesse in divina substantia (*c*), quod cumulate ipsius Dei

(a) §. 461. *pag.* 207. (b) §. 460. (c) 469.

„ gloriam repraesentet „ . Jam quod primo reprehensionem meretur, est sane, quod Auctor perpetuo ex iis, quae Deus extra se creavit, ad internas Dei ipsius operationes adstruendas argumentetur, perinde ut, quemadmodum Mundus divinam omnipotentiam, sapientiam, justitiam, bonitatem praedicat; ita etiam Personarum in Deo trium existentiam manifestet: quod est certe falsissimum. Quandoquidem, ut pluries dictum est, sapientia, justitia, bonitas, omnipotentia, caeteraeque essentiales Dei perfectiones, cum sint toti Trinitati communes, summi Dei unitatem certo nobis ostendunt, non tamen Personarum Trinitatem. Ratio est, quia actiones illae internae non toti Trinitati sunt communes; nam Pater tantum, qua Pater, Filium genuit, non vero Filius, qua Filius genuit semetipsum, aut genitus est a Spiritu Sancto: item Filius genitus est a Patre, non Pater ipse, genitus est, Sanctusve Spiritus: ac tandem Spiritus Sanctus tantummodo, qua Spiritus Sanctus, a Patre Filioque spiratur, non autem Pater spiratur, aut Filius. Quamobrem apparet, nullam ejusmodi, inter actiones, quibus Deus intra se agit, quibusque operatur extrorsum, connexionem nobis affulgere, ut posterioribus his cognitis, priores quoque illas agnoscamus, ut quemadmodum ex Mundi hujus conspectu, existentiam unius Dei ostendimus, ita et ex eodem Mundo, divinam pariter ostendere Trinitatem valeamus.

62. Deinde cum adhuc lis sub judice sit, utrum finis primarius Mundi creationis, fuerit nec ne, divinae gloriae manifestatio: nam id inficiatur B. Thomas, finem, inquiens (a), rerum omnium divinam esse bonitatem „ quia, ut „ ibi ratiocinatur „ primo Agenti, qui est agens tantum, non convenit agere „ propter acquisitionem alicujus finis, sed intendit solum communicare suam perfectionem, quae est bonitas „: cumque insuper Mastrofinius propositionem, qua affirmat rerum creatarum finem esse divinae gloriae manifestationem, non satis necessariis rationibus, quae scilicet solvi nequeant, communiverit; apparet, eundem a dubiis principiis profectum, non certam utique, etiam in hypothesi quod ex divina gloria in mundo condendo manifestata argui posset Trinitatis existentia, demonstrationem Trinitatis ejusdem confecturum.

63. Praeterea etsi Mundum primario ad Dei gloriam manifestandam ab eodem creatum esse, et conservari, atque manifestationem ejusmodi infinitam, si quidem dari posset, infinitum esse bonum, concedere vellem; nego nihilominus, iri demonstratum exinde valere, bonum ejusmodi infinitum, hoc est infinitam divinae gloriae manifestationem, in Deo habere locum oportere; nam cum Deus ipse essentialiter infinitum sit bonum, ratio non dictat, ejusmodi necessitatem reperiri in Deo debere, ut infinitum bonum possideat in alia hy-

(a) 1. *p. q.* 44. *a.* 4.

postasi realiter a se distincta, quamvis eidem suae naturae identificata, nimirum ut habeat id, quod ejus gloriam cumulate manifestet. Perperam propterea Auctor affirmat (*a*), fore ut infinito bono Deus careat, si in ipso id minime inesse dicatur, per quod fiat, vel obtineatur cumulata, et infinita prorsus divinae gloriae patefactio. Quandoquidem bono infinito nequaquam Deus carere intelligeretur, etsi non haberet id quod gloriam suam adaequate patefaceret; nam sine hujusmodi manifestatione adhuc bonum infinitum Deum esse concipimus.

64. Tandem, prout in reliquis, ita et hoc in loco Pantheismi suspicionem haud effugere Mastrofinius videtur. Postquam enim (*b*) affirmavit, adaequatam Divinae Gloriae manifestationem esse bonum infinitum, objiciens sibi (*c*), simili posse ratiocinio confici, infinitum corpus esse bonum infinitum: respondensque, infinitum corpus repugnare, adeoque argumentum ejusmodi, quo infinitum Corpus bonum esse infinitum adstruitur, intercidere, quin in argumentum aliud, quod manifestationem divinae Gloriae adaequatam esse infinitum bonum ostenderat, conflari valeat invidia; sic pergit dicere: " Quod si Corporum loco substituatur notio simplicium, idest realium substantiarum generatim sumptarum, deque hujusmodi substantiis ineamus ratiocinium par illius, quod ex corporum notione deductum est; tum consequens erit, atque illud legitimum, substantiam entitate infinitam esse bonum infinitum ". Enim vero ut quid hic iterum simplicium entium, seu materiae elementorum memoriam Auctor refricat? Nunquid hac agendi ratione oppido non declarat, se in ea esse sententia, ut Deum, ac entia simplicia unam eandemque esse substantiam opinetur, cum tum haec, tum illum perpetuo misceat, atque confundat? Si etenim non ita ipse sentiret; nunquam ab entibus simplicibus ad Dei substantiam argumentum duceret, cum inter hanc, et illa, infinita differentia adsit; et praeterea nullam utique vim sua ipsius ejusmodi ratiocinatio habitura foret; nam si Corpus infinitum actu existens, ipso fatente, repugnat: cum porro Corpus quodlibet nonnisi ex simplicibus materiae elementis diversimode inter sese intextis, ac conformatis extructum sit, ac coalitum, a fortiori repugnabit infinita entium simplicium actu existentium massa, seu, ut ipse loqui amat, substantia entitate infinita. Quocirca uti inepta ipsi habetur ratiocinatio ex Corporum notione derivata, ita et deductum pariter ex simplicibus substantiis argumentum erit ineptum existimandum. Quapropter si postremum hocce ratiocinium legitimum Mastrofinius appellat; consequens inde fit, divinam substantiam, quae sola est entitate infinita, ab elementis materiae seu realibus sub-

(a) §. 469. *pag.* 210. (b) §. 466. *pag.* 209.
(c) §. 467.

stantiis generatim sumptis, cum ab his ad illam argumentetur, nequaquam juxta Mastrofinium discriminari: id quod est manifesta pantheismi impietas. Hinc est, quod (a) explanans Dionysii auctoritatem, asserit " entia finita haurire „ sibi particulas veluti quasdam divinarum perfectionum, ex hisque consiste„ re „: quae verba cum iis congruunt, quibus iu sua dissertatione docuerat (b) " essentias contingentium creari ex limitatione perfectionum constituen„ tium Dei Essentiam, seu essentias contingentium peti et hauriri sive erui ex „ divina Essentia, immediate quidem, si sunt Essentiae simplicium entium, seu „ corporum elementorum: mediate vero, si sunt essentiae compositorum, no„ strorumque simul corporum „. Hinc quoque est, quod (c) exteriorem divinae gloriae manifestationem cum interiori confundit, tantumque differre a se invicem utramque affirmat, quod illa finita sit, haec infinita: haec consequenter bonum infinitum sit, illa finitum.

PROPOSITIO XLVI.

„ *Necessario (secunda Persona) Speculum est Patris, idest totius entita„ tis, ut ita me explicem* „. (§. 489. pag. 218.).

NOTAE.

65. Primum, quod in hac propositione reprehensione dignum videtur, id profecto reor, quod nimis materialiter Speculi nomen ad Dei Filium significandum transferat Mastrofinius, ita nimirum, ut eodem modo, quo materialia specula rem iisdem objectam repraesentant, Filius exprimat, referatque cuncta divinae naturae in Patre subsistentis attributa: hisce tantum interjectis differentiis, quod " Filius sit necessario Patris Speculum, reliqua vero specula con„ tingenter: haec sint imperfecta, quia nonnisi externam alicujus finitae sub„ stantiae superficiem, modosque referunt, illud autem perfectissimum, quia „ speculi perfectissimi proprietas est, ut non solum extantem foris rerum su„ perficiem, et modos referat, sed exprimat quoque interiorem substantiarum, „ et hypostaseon naturam.... adeo ut in hujus comparatione vix dicenda sint „ specula, imo ne specula quidem, quae vulgo sic nominantur „. Dum ergo hisce verbis in aptando Speculi nomine in Dei Filium, utitur Auctor, nonne sacrarum litterarum, tam crasse eas interpretando, majestatem abjicit, conculcatque? Non enim ex ideis nostris, quae Dei sunt, demetiri nobis fas est, ut

(a) §. 455. *pag.* 205. (b) §§. *LXXXVI., LXXXVIII. LXXXIX.*
(c) §. 465. *pag.* 208.

ita nempe eadem in Deo inesse opinemur, prout ipsi concipimus. Quandiu enim in hac vita sumus, ob finitatem intelligentiae nostrae, atque inopiam, nomen aliquod ita Deo proprium tribuere neutiquam valemus, quod Eum, qualis in se est, exprimat adamussim, ac significet. Si quae nihilominus nomina quaedam, cum de Deo loquitur, ex creatis rebus Scriptura mutuatur, ea non sic usurpat, ut res divinas, prout in se sunt, significare velit, sed vocabulis iis utitur, ut pro modulo nostro divinas res intelligere queamus ob quandam similitudinem, imperfectissimam tamen, quam eaedem divinae res habent cum rebus factis, quibus significandis eadem vocabula usurpata primitus fuerunt. Quocirca vocabulorum ejusmodi, quatenus Deo tribuuntur, significandi ratio manca et imperfecta semper esse intelligitur. Quoniam igitur, ut Isaias ait (*a*), *generationem Dei Filii nemo enarrare potest*; hinc ducere e creatis rebus similitudines quasdam compellimur, quibus eandem ad captum nostrum exprimamus. " Nam, „ ad rem B. Thomas (*b*), ut ostendatur connaturalis Patri, dicitur Filius: ut „ ostendatur coaeternus dicitur splendor: ut ostendatur omnino similis, dici- „ tur imago (idem dic de Speculo): ut ostendatur immaterialiter genitus, „ dicitur Verbum „. Quamobrem apparet, Mastrofinium, dum tam crasso, materialique modo Speculi nomen ad Dei Filium significandum interpretatur, sacrarum litterarum non satis majestati consulere.

66. Quod et facit de nomine lucis, quae appellatio assolet non raro Dei Filio in Scripturis imponi. Nam exinde contendit (*c*), Filium Dei nomine lucis indicari, quia, cum " lucis proprium sit, ut per eam Sol, caeteraque lucentia „ Corpora circumquaque declarentur; divinus Filius habet hypostaticum et sui „ proprium characterem, ut plenissima sit, itemque subsistens Divinae in Pa- „ tre subsistentis naturae commonstratio „: contra ac docet B. Thomas (*d*), qui idcirco nomine splendoris seu lucis, Dei Filium appellatum censet, ut eum Patri coaeternum esse intelligeremus. Quinimmo ita lucis vocabulum in Dei Filium convenire Mastrofinius affirmat, ut ipsum cum hac materiali luce, qua undique circumfundimur, miscere quodammodo videatur: quasi idem divinus Filius, prout etiam Manichaei putaverunt, lux quaedam primigenia sit, eaque materialis, ex qua postea illa manaverit, qua Sol, et reliqua lucentia corpora donantur; sic enim subdit: " Tanto magis autem lucis appellatio congruit „ in Filium; quod ipse lux esset, cum nondum creata ulla corpora existerent, ex quibus lux exundaret, eorum ostensura naturam „.

67. Sed quod deterius offenditur, est utique istud, quod divinum Patrem *totius entitatis* nomine Auctor exprimat: quae quidem expressio quam sit aequi-

(a) *Isa.* 53. 8.
(b) 1. *p. q.* 34. *a.* 2., *ad* 3.
(c) §. 490. *pag.* 219.
(d) *ibidem*.

voca, quantamque lectoribus errandi facultatem tribuat, satis per sese puto esse perspicuum. Nam si Pater tota est entitas, neque Filius, neque Sanctus Spiritus entitas erunt: alioquin entitas tota Pater esse nequiret. Similiter et res factae entitates amplius non erunt a Patre distinctae, atque diversae, cum ex totā ipse entitate constituatur; est enim juxta Mastrofinium *tota*, Pater, *entitas*: quod quid, quaeso, aliud est, quam pantheismum edocere? Quem quidem errorem patentius quoque Auctor insinuat, dum post relatam propositionem, antithesin instituens inter caetera specula, et Dei Filium, quem Patris vocat Speculum, sequentia subdit " : Reliqua vero specula neque repraesentationem habent necessariam: ac si haberent; non possent extendi tamen ad substantias omnes, „ vel totius entitatis fontem exprimendum „; et paullo antea Speculum omnium perfectissimum illud esse dixerat " quod non solum extantem foris rerum superficiem, et modos referret, sed interiorem quoque substantiarum, et hypostaseon naturam „. Ergo ut inter Dei Filium speculum Patris, aliaque specula, antithesis per Mastrofinium instituta constet adamussim, omnino est affirmandum, a Dei Filio uti necessario, ita et substantias omnes vel totius entitatis fontem, sive exteriorem superficiem, interioremque substantiarum, et hypostaseon naturam (quae duo a reliquis speculis praestari nequeunt), expressum iri: alias facta non constaret antithesis. Quare si Filius Dei, cum substantias omnes vel totius entitatis fontem, interiorem substantiarum, hypostaseonque naturam, vel totam entitatem referat, nonnisi Patrem, cujus Speculum est perfectissimum, exprimit; ecquis non actutum perspiciat, faetidissimum hic nobis Pantheismum obtendi, cum et totius entitatis, et substantiarum omnium, fontisve totius entitatis, interiorisque substantiarum, et hypostaseon naturae vocabulis divinum Patrem vocare praesumat, ac audeat? Stomachum mihi jam facit doctrina isthaec Mastrofiniana, fastidiumque creat vel maximum: sed durandum est, quia caepimus, propter Sanctam, et Individuam Trinitatem, in cujus nomine baptizati sumus, ac eruti de potestate tenebrarum, translati sumus in ejus lumen, et regnum, ut eandem a caliginosis erroribus vindicemus.

PROPOSITIO XLVII.

„ *Quoniam ergo Divina in Patre subsistens natura necessario poscit secundam hypostasim, per quam ejusdem gloria exprimatur, necessario etiam sibi tertium quendam postulabit, qui referatur ad divinam gloriam prout manifestatam cognoscendam* „. (§. 497. pag. 224.).

NOTAE.

68. Huc tandem delabitur Mastrofinius, ut, ostenso prius, prout sibi vi-

detur, inesse hypostasim in Deo alteram, per quam ejus gloria patefiat; concludat, et tertiam quoque debere inesse in Divinitate Personam, cui sincera illa Paternae Gloriae revelatio manifestetur. Nam, ut ipse probat (*a*) " Ad „ manifestandam Dei gloriam tria requiruntur: id cujus gloria manifestetur: „ id quo gloria exprimatur: ac tandem expressionis hujus jam absolutae co- „ gnitio. Fit enim expressio, ut agnoscatur; ita ut expressio haec sit velut „ medium; cognitio sit autem finis ad quem dirigitur, vel propter quem obti- „ nendum existit „. Jam primo dum Auctor novas hasce, profanasque loquendi formas usurpat, iis, quas ad Sanctissimum, penitissimumque Mysterium explicandum docendumque sacravit Catholica Ecclesia, neglectis, ac praetermissis; tantundem efficit, ut malam opinionem sibi consciscat, tempestate hac nostra praesertim, qua tam effraenis de Religione, perinde atque si humanum figmentum Religio ipsa foret, invaluit ad placitum disserendi licentia. Nonne siquidem novum est penitus audire (*b*) " Filium habere se tanquam me- „ dium ad finem, idest ad gloriae hujus adaequatam cognitionem..... Adeo- „ que ipsum differre a Spiritu Sancto, quemadmodum media perpetuo differunt „ ab ipso fine „? Quantam enim aequivocandi, errandique occasionem praebeat haec loquendi ratio, quisque facile deteget.

69. Deinde, quemadmodum non necessariis argumentis, prout supra (c) vidimus, ostendit, alteram inesse in Deo debere hypostasim, quae divinae gloriae in prima hypostasi subsistentis sit commonstratio (creata quippe ratio quamvis fide exculta, ac illustrata, sese attollere ita nequit, quantumvis nitatur, utpote arctis limitibus circumscripta, ut necessario tandem evictura sit, fore ut Deus careat infinito bono, si deforet secunda hypostasis: imo potius oppositum ejus quod contendit Mastrofinius, humana ratio suadere videtur, nimirum haud oportere, ut Deus, infinitum bonum, idest adaequatam suae gloriae manifestationem in alia hypostasi a se distincta, eandem licet naturam habente, possideat: cum in seipso infinitum essentialiter bonum esse concipiatur); ita neque hic necessario evincit, necesse esse in Deo et tertiam Personam reperiri, quae ad agnoscendum, qualem se Pater in producendo Filio, quantumque praestiterit, referatur. Nam esto etiam quod ratio eo pertingere valeret, ut inesse in Deo oportere hypostasim secundam, necessariis rationibus demonstratura esset (quod fieri tamen nequire jam vidimus); exinde nihilominus colligere ipsa nequiret, exigi necessario Personam tertiam, quae Secundae a Prima Generationem agnoscat; etenim tum finita res comprehendere infinitam non valet; tum etiam satis esse ratio ipsa conciperet,

(a) §. 495. *pag.* 221.
(b) §. 495. *pag.* 221.
(c) §. *Vid. notam* 63.

tam a Patre Filium cognosci, quam a Filio Patrem, quin Persona alia tertia utramque cognoscens accersatur. Quamvis igitur vere Mastrofinius de divina Trinitate in opere hocce suo dissereret, veram illius demonstrationem minime confecisset.

70. Nec juvat eum ullatenus, quod alteram allatae propositionis demonstrationem (a) texens, ab exteriori divinae gloriae manifestatione facta in creatione hujus rerum universitatis, concludat, quid sibi postulet interior illa, et undique perfecta divinae gloriae ostensio: quod nimirum quemadmodum " externa gloriae manifestatio vel facienda non erat, vel si fieret, postulabat " sibi entia rationalia, quibus declararetur, vel ex quibus agnosceretur; ita et " secunda hypostasis, per quam ejusdem Dei gloria exprimitur, necessario sibi postulare dicenda sit tertiam aliam hypostasim, quae ad divinam gloriam " jam expressam agnoscendam referatur ". Nam primo neque ratiocinatio isthaec vim obtinet verae demonstrationis, quae scilicet mentem necessario pertrahat ad assentiendum, prout exigit natura verae proprieque dictae demonstrationis. Et sane 1. Mundi creatio, quamvis amplior facta fuisset, nihil omnimodae Dei perfectioni apponit; Trinitas vero ipse Deus est infinite perfectus, neque esset talis, nisi Trinitas esset: 2. Creatio mundi liberrima est; Personarum autem Trinitas in Deo necessario existit: adeoque 3. Mundi effectio ex omnipotenti Dei liberaque voluntate processit, poteratque, si Deo ita placuisset, alios atque alios rerum ordines, alias atque alias substantiarum species nancisci; Trinitas e contra in Deo est ex perfectione divinae naturae, quae utpote immutabilis, ac perfectissima, alio atque alio modo se habere non posset: 4. creatae res prorsus e *nihilo sui*, ut ajunt, et *subjecti*, idest, quoad totum suum esse ex nihilo, Dei virtute, prodierunt; Filius ex adverso ex substantia Patris est genitus, Sanctusque Spiritus a Patre, et Filio substantialiter procedit: 5. Creaturae omnes uti numero et specie mutuo distinguuntur, essentialiterque finitae sunt, ita et tum quoad speciem natura ab invicem discretae sunt, atque diversae, tum a natura Dei perfectissima infinite penitus distant, ac differunt; Pater ab opposito, et Filius, et Spiritus Sanctus, etsi tres sint hypostases, seu Personae realiter inter se distinctae, eandem numero tamen habent Essentiam, seu naturam, quae in iisdem tribus hypostasibus indistincta omnino manet, atque simplicissima, infiniteque perfecta: 6. Creatae res ex tempore esse caeperunt; Filius porro ab aeterno genitus est a Patre, atque Sanctus Spiritus item ab aeterno ab utroque procedit: 7. tandem actio, qua ex nihilo creaturae extiterunt, tribus peraeque Personis communis est; at actio qua Pater Filium genuit, Patris solius est propria; et similiter actio, qua tertia Perso-

(a) §. 497. *pag.* 223.

na a Patre, et Filio spiratur, Patri tantummodo, ac Filio, non autem Spiritui Sancto convenit. Quae cum sint, qua fronte affirmare Mastrofinius illud audebit, ex iis scilicet, quae Deus extra se e nihilo effecit, posse ejusmodi duci argumentum, quo in Deo Personas tres, quarum prima suam gloriam manifestet, secunda sit paternae gloriae expressio, tertia ad gloriam hanc, quam Pater expressit in Filio, agnoscendam proveniat, necessario inesse debere ostendatur; cum nulla talis, quae ad id praestandum exigitur, inter demonstrationis medium, et rem demostrandam, proportio deprehendatur?

71. Quod autem posterius observatum velim, est, quod cum Mastrofinius ex creatione Mundi ad Personarum in Deo Trinitatem inferendam procedat, Mysterium Trinitatis ejusdem altissimum deprimere videtur, atque obnubilare. Quandoquidem si quemadmodum, uti Auctor arbitratur, extra se Deus Mundum condidit, ita et intrinsecus operatus sit; inde sequitur, Patrem ad instar Mundi Filium genuisse, et uti homines ad Dei Sapientiam, bonitatem, Omnipotentiamque ex Mundi ejusdem conspectu suspiciendam, admirandamque inducti sunt, sic et tertiam Trinitatis provenisse Personam, ut qualem se Pater, et quantum in Filii productione praestiterit, aestimet ipsa, ac cognoscat. Et quemadmodum tria occurrunt in Mundo, principia videlicet, ex quibus corpora coalescunt; Corpora ipsa miro inter sese ordine, nexuque disposita; et demum Entia rationalia, quae Mundi fabricam, pulchritudinemque videant, admirentur, commendent; ita et Patrem in divinis Corporum principiis, seu elementis materiae comparari, Filium componi Corporum structurae interiori, exteriorique figurae, ac Sanctum denique Spiritum creaturis intellectu, ac ratione pollentibus, agentibusque similem effici. Quae nedum ut patet, puerilia sunt putanda, et Trinitatis Mysterii Majestatem extenuantia; sed et flexiloqua, suspecta, ad erroresque trahentia, spectata totius Operis textura, ac serie, facile quisque judicabit.

PROPOSITIO XLVIII.

„ *Ergo in divina natura prout Patri Filioque subjecta est, infinitum et idem subest desiderium, nempe infinitum naturae pondus, idest naturae necessitas eo translatae ut praes o habeat tertium quemdam divinae interioris et cumulatae gloriae, cognitorem: quamobrem vel infinitum hoc desiderium, itemque naturae necessitas inexpleta est, nimirum Pater Filiusque seu Deus, infinite miseri sunt, in seque ipsos retorquentur (absit invidia verbis) acti desperatione consequendi quod optant; vel statim ac hi duo concipiuntur existere, in promptu habebunt Tertium illum de quo diximus. Jam vero primum tantopere pugnat; quam quod maxime. Er-*

„ go necessario inest in Deo Tertius hic per quem divina eaque interior „ et praestantissima Gloria adaequate cognoscatur „ . (§. 493. pag. 225.) .

NOTAE.

72. Conclusionem hanc deducit Mastrofinius ex tertio argumento, quo utitur ad ostendendum, reperiri in Deo tertiam debere hypostasim, quae ad Patrem Filiumque agnoscendum referatur. Argumentum porro, quod summatim hic exhibeo, est ejusmodi, nimirum “: 1. Docet, in omnibus omnino hominibus, „ ne Sanctis quidem exceptis, naturale inesse desiderium, ut agnoscatur ab „ aliis, quantopere se doctos, et eximios professi fuerint in opere quoquam „ absolvendo, quod ad propria eorum munera pertineat: atque desiderium „ hoc futurum esse vehementissimum pro varia perque gradus crescente perfe„ ctione operis, quod iidem navarint „. Ex hac doctrina primo deducit: “ Pri„ mam Personam, quatenus Persona est, propterea quod productionem infi„ nite praecellentem, nempe adaequatam sui gloriam expressit in Filio; ex „ tota aeternitate, atque constanter, idest sine labe mutationis ulla, exarde„ scere infinito disiderio ut agnoscatur, infinitam, et adaequatam se in Filio „ gloriam suam expressisse „. Rursus alterum ordiens argumenti filum, 2. docet „ Pictores, Poëtas, Philosophos, Oratores, ac similes istorum caeteros, si for„ te munus didicere suum ab eximio celeberrimoque artis vel scientiae peri„ to, cupere summopere agnosci, quam bene, doctus cujusque praeceptor in „ ipsis ad artem aut scientiam fingendis, imaginem sui vel excellentiam expres„ serit, quantique valeret. Atque hoc desiderium, quod juxta Auctoris dicta„ ta pariter naturale est, afficitque universim supposita, quatenus noscunt se „ opus esse praestantissimi suppositi alterius, tanto majus futurum, quanto „ quisque novit extare in semetipso praeclarius monumentum magistri sui, quan„ topere Magister insignior et celebratior erat „. Ex hac doctrina infert 2. “ Se„ cundam Trinitatis personam, quatenus personam, et certi generis, idest di„ vini, personam, certisque proprietatibus ornatam, quia est eadem per se bo„ nitas, intelligentissima, et adaequata infiniti Dei gloria, et in totum ex Pa„ tre dimanans; citra invidentiam, ac aemulationem etc. in totum, nimirum „ adaequato et infinito desiderio flagrare ut agnoscatur, quantum se divinus „ Pater praestiterit in Filio producendo, idest in gloria sua in eodem exprimenda „. Ex quibus praejactis principiis relatam elicit conclusionem, qua affirmat, necessario inesse debere in Deo hypostasim tertiam, per quam divina eaque interior, et praestantissima Gloria adaequate cognoscatur; secus fore Patrem Filiumque seu Deum, infinite miseros, si nempe desiderium illud infinitum, quo uterque flagrat, ac exardescit, inexpletum remaneret. Quae cum edisserit Ma-

strofinius, tantam profert ineptiarum farraginem, ut, eas singillatim recensere si vellem, longus mihi esset, molestusque labor exantlandus. Quaedam duntaxat hic summis labiis attingam, ex quibus absurda caetera, quae latent, attendenti palam fient.

73. Primo itaque acerrimam reprehensionem meretur Mastrofinius, quod ex humanis rebus ad ea quae in Deo insunt, dimetienda, ac aestimanda procedit, inque Deum ipsum humanos importat affectus, ut scilicet, quemadmodum homines, siquid effecerint laude dignum, ut id agnoscatur ab aliis, desiderio flagrant; ita et infinito Deus Pater, Filiusque aestuent desiderio, ille, ut agnoscatur, adaequatam a se gloriam in Filio expressisse, hic, ut agnoscatur, quantum se Pater praestiterit in gloria sua in Filio exprimenda. Quod quidem impudentiam hominis praesefert singularem, dum is beatissimam, ac perfectissimam Dei naturam, ad conditionem dejicit creaturarum; sicque loquitur, perinde ac si Deus, et creaturae eadem natura constarent; si enim naturale est hoc desiderium, afficitque universim substantias intelligentes tam factas, quam increatam; consequens inde est, eandem, vel similem omnibus hisce substantiis subesse naturam, cui affectus hujusmodi, seu desiderium, tamquam essentialis proprietas convenit; adeoque Deum, homineesque unum esse, ac idem: quod manifestissime praesefert pantheismum.

74. Secundo gravissime is aberrat, dum in Deo desiderium ponit, et quidem, uti videtur, proprie dictum; quemadmodum proprie dictum inest hominibus, secundum eum, ut agnoscantur, quae praeclara exegerint, desiderium: quod nefas omnino putandum est; cum enim desiderium proprie dictum, quoniam appetitum involvit rei non habitae, ex mora sperati boni oriatur; illud habere in Deo locum nequit; quia Deus, utpote Bonum undequaque perfectissimum, ac infinitum, rei nullius, quam desideret, est indigus. Si ergo in Deo desiderium insit proprie dictum, neque erit infinite perfectus, uti patet; neque tertia Trinitatis hypostasis Deus erit, utpote non aeterna; quod enim ab aeterno in Deo inest, objectum desiderii, respectu Dei ipsius, esse non potest. Quamobrem si Spiritus Sanctus infinite desideratur a Patre, Filioque, aliquod sane momentum Sancti ejusdem Spiritus productionem antecessit; quia desiderium in rem semper habitam non fertur, prout ejusdem postulat natura desiderii. Hinc forte est, ut reor, quare Mastrofinius, ut ostenderet, hypostasim tertiam, quae exigitur ad cumulate comprehendendam divinam gloriam, produci tamen per divinam operationem tanquam terminum ejusdem; Patrem, et Filium inducat tanquam periclitantes, explorantesque, num valerent ad Sancti Spiritus productionem ambo pertingere. Sic enim (a) loquitur ": Fit autem

(a) §. 534. pag. 239.

„ commodissime, ut hypostasis tertia ex postrema quoque demonstratione in „ actionis termino sit reponenda: Cum enim Pater secundam hypostasim pro- „ duxerit tanquam luculentam et cumulatam repraesentationem attributorum „ omnium Naturae in seipso subsistentis; oportebat plane, ut vix productio- „ ne hac absoluta, Pater, et Filius experirentur, num possent ambo idem pror- „ sus Opus explere; ut undique constaret, itemque Pater Filiusque conscirent „ sibi, vere Patrem adaequatam sui gloriam expressisse, ac vere Filium huc „ respondere; ab instituto etiam, ut ita loquar, examine; deficientibus formu- „ lis ad tam sublimia vix indicanda „. Phy! poterat ne vilior excogitari conceptus, quam quo processionem Sancti Spiritus a Patre, et Filio, novellus hic Doctor exprimit, ut videlicet tertiam hypostasim Opus appellet a Patre et Filio tanquam a duobus ambitiosis artificibus in unum coëuntibus, ac periculum, num possent illud exequi, facientibus, expletum? Quis unquam, non dico ex Patribus Catholicae Ecclesiae, sed ex ipsis profanis Scriptoribus, ita inverecunde de Sanctissimo Trinitatis Mysterio loqui praesumpsit? Si Spiritum Sanctum Patris Filiique opus dicit Mastrofinius; ergo Spiritus Sanctus creatura est, non Creator, effectus Dei, non ipse Deus; adeoque Sanctus Spiritus, et creaturae sunt unum idemque; quia creaturae quoque opus Dei sunt. Deinde si Pater Filiusque ante Spiritus Sancti productionem experti sunt, num ambo possent illum explere; ergo Spiritus Sanctus non semper extitit, saltem perfecte, quia ejusdem productionem, Patris tentamen Filiique praecessit. Sed forte quis contendet, locutiones ejusmodi Mastrofinianas emolliendas esse, inque bonam partem trahendas. Esto. Verum si juxta Fidem Auctor sentit, eccur etiam fidei vocabulis non se explicat? Si Catholicam Fidem in corde retinet, cur relictis vocibus per Catholicam Ecclesiam consecratis, novas ipse, sensumque aucipitem objicientes, ad eamdem fidem explicandam, temere usurpat?

75. Tertio magis reus efficitur Mastrofinius, dum docere pergit (quo clarius apparet, desiderii vocem proprio in sensu ab eodem sumi), desiderium ejusmodi, quod Patri Filioque subest " non esse neque semitam, per quam actu evol- „ vitur effectum (quae verborum obscuritas), neque effectum ipsum; sed de- „ siderium oriri ex cognita re desiderata, et bono, quod ex ejus consecutio- „ ne percipitur: nempe desiderium supponere naturae indigentiam, vel exigen- „ tiam. „ Jam si desiderium etiam in Deo supponit naturae indigentiam juxta hanc sublimiorem Metaphysicam; natura itaque, prout Patri Filioque subjecta est, profecto est indigens, adeoque misera; miser quippe ille, qui indiget, esse dignoscitur. Quoniam porro desiderium hoc, quo Pater, et Filius exardescunt, infinitum est juxta Mastrofinium; infinitam quoque indigentiam seu miseriam supponit. Ergo Patris Filiique natura infinitam habet indigentiam,

infiniteque misera est. Quid vero, multum efflagito, quidpiam erit aliud indigentia, seu miseria infinita, nisi infinitum nihil? nihil enim habere nos dicimur ejus, quo indigemus, actuque caremus. Quapropter natura Patris, Filique erit infinitum nihil. Sed si Pater Filiusque sunt infinitum nihil; quid igitur Sanctus futurus est Spiritus, qui a Patre Filioque procedens, naturam accipit ab utroque communicatam? Nam ex nihilo nihil. Proh Deum! ubinam sumus? Num insanio, aut furo? Utinam istud! Sed magnopere vereor, ne vera sim opinatus; consecutiones enim ejusmodi ex Auctoris principiis sponte veluti sua, nisi me fallit opinio, fluere videntur.

76. Quarto naturale esse docet tale desiderium, singulosque homines complecti " ne Sanctis quidem exceptis Viris, qui sic praestiterunt, ut Deo cariores invenirentur, nempe agnoscerentur, adeo ut si quando reperti sunt, qui proprium opus perfregerint, sive contempserint, id perfecerint, ut exinde alia quam pluris faciebant, eorum virtus agnosceretur ". Quae cum docet, maximam Sanctis injurium affert, dum eosdem effutit desiderio, ut agnoscerentur, excitos, virtutes exercuisse, idest sui ipsorum, non porro Dei, gloriam, in operibus suis quaesivisse; adeoque semetipsos, non utique Deum, suarum actionum finem sibi proposuisse. Ergo viri Sancti cenodoxiam in actionibus suis sectati sunt; ergo vera humilitate caruerunt. Nam Sancti, si Mastrofinium audiamus, hoc tantummodo in omnibus, quae operati sunt, naturali desiderio appetivere, ut videlicet agnoscerentur, nimirum ut appareret, quantum sese in arduis virtutibus factitandis magnanimos, atque excellentes praebuerint: quae quidem agendi ratio uti vitio non caret, ita directe pugnat cum humilitate. Ergo dum Christus Salvator noster, et Magister, verbo et exemplo humilitatem tantopere praedicavit, rem impossibilem, aut absurdam praecepit. Ergo frustra etiam Catholica Ecclesia Sanctorum vitam cum Christo absconditam in Deo, humilitatemque commendat; inque ejusmodi judicio ferendo turpiter decipitur. Quo quid periculosius, et Christo, Ecclesiae, Sanctis injurium magis, magisque probrosum effingere quis posset?

77. Quinto tandem, ne caetera persequendo, maerore conficiar, nauseam ad mortem usque cuilibet creant profanae verborum formae, quas, de tam sancto, divinoque Mysterio disserens Auctor usurpat. Quis enim ferat hominem dicentem " in Divina Natura, quatenus Patri Filioque subjecta est, infinitum et idem subesse desiderium, nempe infinitum naturae pondus, idest naturae necessitatem eo translatae, ut praesto habeat tertium quemdam divinae interioris et cumulatae Gloriae, cognitorem "? Quis hypothesim illam inverecundam, et auditu horribilem sustinere queat, nimirum " Patrem Filiumque, seu Deum, infinite miseros futuros, in seque ipsos fore retorquendos actos desperatione consequendi quod optant, si infinitum desiderium hocce, item-

„ que naturae necessitas esset inexpleta ? „ Equidem haud puto, in ipsis Gentilium theatris, ubi sanctissimis Fidei nostrae Mysteriis impii Comaedi illudere quandoque solebant, similes voces auditas unquam fuisse; neque aptiores excogitari posse, magisque proprias, quibus brutum illud exprimatur desiderium, quo luxuriosi homines in explenda libidine sua exuruntur. Sed manum a tabula amoveamus; quoniam dolori, qui me excruciat, ferendo par amplius non sum.

PROPOSITIO XLIX.

„ *Qui postularunt indicari sibi exemplum Trinitatis in finitis rebus, po-*
„ *stularunt, quod usquequaque repugnat. Imo etiam addo (absit invidia ver-*
„ *bo, loquor enim veritatem declaraturus) eos nescivisse, quod postularent* „.
(§. 527. pag. 236.).

NOTAE.

78. Tertiam conclusurus Mastrofinius de Trinitatis existentia demonstrationem, cujus proxime praecedens propositio coronis est, demonstrandum (*a*) aggreditur „ nullum eus creatis in rebus occurrere posse, quod referat imaginem „ omnino similem divinae Trinitatis, nimirum, cujus natura numero unica tri- „ bus subsistentiis absolvatur „: quo (*b*) expleto, consectariam propositionem subjicit, qua eos omnes suggillat, qui finitis in rebus indicari sibi Trinitatis exemplum postularunt, utpote rem postulantes, quae usquequaque repugnat. Si de perfecta penitusque simili, quae scilicet divinam Trinitatem adamussim exprimat, imagine, loqui Auctor intelligeret; id repugnare libentissime concederemus. Ast de imagine quacumque vel exemplo Trinitatis in finitis rebus inventu impossibili sermonem habet, ut ex rationibus quas profert, innotescit; et aliunde eorum, qui Trinitatis exemplum indicari sibi finitis in rebus postularunt, neminem adeo desipuisse arbitror, ut exemplum tale, quod perfecte omnino Trinitatem sanctam referat, in creatis rebus inveniri posse putaverit: in quo impudentiam suam maxime temeritatemque manifestat, dum omnes Ecclesiae, Patres, Doctores, Theologos tacite redarguit, qui varias, imperfectas quidem, similitudines ex creatis rebus haurire consueverunt, ad sanctam, et individuam Trinitatem, pro rudium captu, illustrandam, atque exprimendam; ut nullam videlicet adstruerent inesse in eadem Trinitate Personarum in Deo cum naturae unitate, repugnantiam, cujus vel in creatis rebus ipsis imago quaedam, vel similitudo, quamvis rudis, et imperfecta, deprehendebatur. Id quod praestitit B. Augustinus, qui (*c*) ad illustrandum hoc Mysterium, utitur exem-

(a) *lib. 5. cap. 6.*   (b) *a.* §. 52 4., *ad* 526. *pag.* 234., *et* 235.
(c) *Lib. 4. de Trin. c.* 48.

plio intellectus, voluntatis, ac memoriae in una eademque anima: praestitit B. Athanasius, qui (*a*) Solis, radii, ac splendoris ex utroque profluentis similitudinem usurpat: praestitere alii, quos brevitatis gratia non memoro; sed prae caeteris id praestitit B. Thomas, qui (*b*) quaestionem instituens "Utrum „ in creaturis necesse sit inveniri vestigium Trinitatis? affirmativam partem am„ plectitur, respondens „ in Creaturis rationabilibus imaginem; in caeteris vero vestigium Trinitatis inveniri, quatenus in iisdem nonnulla inveniuntur, quae reducuntur in divinas Personas. Quapropter et qui postularunt indicari sibi in rebus creatis exemplum Trinitatis, et qui inveniri docuerunt; non utique id, prout obgannit Mastrofinius, quod usquequaque repugnat, postularunt, et docuerunt. Sed nequaquam hic Auctoris sistit audacia: omnes insuper retro Doctores, ac Patres culpat ignorantia, dum addit " eos, qui in finitis rebus „ exemplum quaesierunt Trinitatis, nescivisse quod quaererent. Sed quam affert „ ipse rationem, ob quam tot Sanctis doctisque viris ignorantiam ejusmodi „ appingit? „ Nam, " (sic probat suum corollarium) sine dubio hi postula„ bant Dei subsistentis imaginem. Atqui imago haec, vel repraesentatio da„ tur in ipso Deo, imo adaequata, et absolutissima est, intereaque non est „ imago nisi Personae unius tantummodo. Quomodo igitur qui subsistentis Dei „ quaerebant in finitis rebus imaginem, quaesierunt imaginem Trinitatis? Igno„ ratum est ergo, quid quaerendum esset, cum imago quaesita est Trinitatis „. Qualis verborum astutia! Non Dei subsistentis, idest Personae unius imaginem, sed imaginem utique Trinitatis, hoc est, Personarum trium unam eandemque naturam habentium, Sancti Patres, ac Theologi quaesierunt; ignorat ergo ipse potius Auctor, quid quaerat: " Atqui haec imago vel repraesentatio (subdit in minori propositione) datur in ipso Deo, imo adaequata, et absolutissima est, et est interea Personae unius tantummodo imago „. Quid inde? Nunquid repugnat, ut hujus substantialis Imaginis, et Perfectissimae Patris aliqua similitudo in creatis rebus pariter reperiatur, quemadmodum reperitur imago Dei subsistentis, idest Patris, in creatis iisdem rebus? Num naturalis haec imago Patris, idest Filius, non est Deus subsistens, ut ejusdem propterea in creaturis imago reperiri impossibile sit? Unde, scire exoptarem, repugnantia isthaec enascatur? Nunquid inde, quod Filius simul ac res finitae imaginem hanc Dei subsistentis adaequatam, et absolutissimam constituant? Atque huc tendit, ni fallor, Auctoris scopus. Si enim ipse docet, imaginem hanc Dei subsistentis adaequatam et absolutissimam dari in ipso Deo, et esse imaginem tantum personae unius; quomodo extra Deum, hoc est finitis in rebus eandem imaginem quaerendam esse simul docet? Quomodo enim finitis in rebus, quae sunt

(a) *Orat.* 4. *cont. Arianos*. (b) 1. *p. q.* 45. *a.* 7.

extra Deum quaeri debet imago Dei subsistentis, si datur in ipso Deo? Quare dum finitis in rebus Dei subsistentis imago, quae datur in ipso Deo, quaeri debet juxta Mastrofinium; consequens hinc est, finitas res imaginis hujus perfectissimae et adaequatae Dei subsistentis totidem esse particulas foras erumpentes, ex iisque et Filio conflari eandem imaginem adaequatam, et unicam: eamque dici Dei Filium, quatenus totalis concipitur, et adaequata; vocari vero creaturas, quatenus inadaequate sumitur, et partialiter: adeoque finitas res ejusdem esse naturae cum Filio, utpote cum Filio eandem Dei subsistentis imaginem constituentes, tantumque differre ab sese, quantum differunt singuli lucis radii a tota lucis ejusdem massa, quam Sol producit; licet tam lux tota, quam singuli lucis radii eandem omnino naturam praeseferant. Atque sic modo intelligitur, cur Mastrofinius doceat, non Trinitatis in creaturis, sed duntaxat Dei subsistentis exemplum vel imaginem esse quaerendam; cum namque, juxta doctrinam ipsius *(a)* " creata quaelibet res sit substantialis et ipsa „ manifestatio divinae gloriae, perinde ac Filius, seu secunda hypostasis, hoc „ solum discrimine interjecto, quod secunda hypostasis sit adaequata divinae „ gloriae manifestatio; creata vero quaelibet substantia solitarie, et in se spe- „ ctata, sit manifestatio itidem divinae gloriae, sed facta tamen ex parte, „ non usquequaque „; palam profecto est, creaturas manifestationis hujusce vel imaginis imaginem esse nequire; manifestatio siquidem, seu imago, vel repraesentatio non ad se dicitur, sed ad aliud; nimirum imago, sui ipsius imago esse non potest, sed necessario ad aliud per imaginem significatum exprimendum refertur: quemadmodum ex. gr. Caesaris imago vel repraesentatio, non seipsam, sed Caesarem utique, cujus imago est, repraesentat, vel significat. Quoniam igitur juxta Mastrofinium finitae res una cum Filio Patrem repraesentant, adaequate et absolutissime; nequit in iisdem imago Filii reperiri; secus seipsas repraesentarent, seu sui ipsarum imagines forent: quod fieri nequit. Sicuti radii lucis non referunt lucem, cujus sunt partes, alioquin seipsos referrent, seu repraesentarent; sed utique Solem, cujus imago existunt, repraesentant, non minus quam lux tota; sed lux tota est adaequata Solis imago, quia eundem usquequaque repraesentat; radii vero, quia lucis partes sunt, ex parte tantum, Solis referunt imaginem. " Hinc exilientes (ut verbis me exprimam Auctoris ipsius) a Sole radii secum deferunt ejusdem imaginem; ita „ ut affectent describere in loco, in quem inciderint, candidam, et sphaericam, ut Solis est, effigiem, *(b)* „. Apparet itaque, obscuris hisce, involutis, versutisque locutionibus, teterrimam Pantheismi doctrinam magis, magisque insinuari. Et nihilominus hanc ipsam doctrinam, veritatis nomine signifi-

(a) §. 526. *pag.* 235.

(b) §. 490. *pag.* 219.

cat; loquitur enim, ut se exprimit, veritatem declaraturus: caeterisque omnibus, qui ab eadem hac ipsius doctrina abhorrent, ignorantiae notam inurit.

79. Sed fontem intueamur, ex quo Patrum omnium Doctorumque Ecclesiae tam palmaris error effluxerit. " Sed erroris fons omnis, (ita pergit) (a), ex „ eo manavit, quod hi, qui versati sunt in simili quaestione, Dei naturam „ prout illius ferebat conditio, non consideraverint „. Enormis sane arrogantia! Ergo ii omnes, qui de Deo hactenus loquuti sunt, Doctores Ecclesiae, Patres, Theologi, ejus naturam, quemadmodum par erat, minime consideraverunt? Ergo eousque crassa in ignoratione versati iidem sunt, ut, quamvis divinae revelationis lumine illustrati atque edocti, circa Dei naturam faede erraverint? Magno idcirco miserentis Dei consilio contigisse arbitrabimur, ut unus inter omnes homo surrexerit, qui, detersis ignorantiae tenebris, quae circa Dei naturam universorum mentibus offusae erant, doctrinam novam extunderet, quomodo de eadem Dei natura sentire reipsa oporteat, tutissime explicantem! Quoniam igitur quotquot ante Metaphysicae sublimioris Conditorem extiterunt, Dei naturam, prout de eadem sentire opus erat, crassa ignoratione praepediti non consideraverunt; hunc solum sapientem hominem, quid doceat de ipsa Natura Dei, auscultemus: jam enim Cathedram conscendit, atque vocem ad procellae similitudinem extollens sic universos ad Scholam suam compellat: " Animadvertant igitur hi mecum, divinam primo naturam in Pa- „ tre subsistere: Caetera vero pendere ex Patre ut sint, ne exceptis quidem postre- „ mis duabus divinis hypostasibus, quamquam hae pendeant ita, ut nequeant non „ esse, ac vi originis accipiant etiam virtutem creandarum rerum. Caeterum ex Pa- „ tre omnia: Ipse primigenius fons est rerum, et entitatis. Quidquid igitur est, vel „ esse potest, sive necessario sit, sive contingenter debet referri ad primigenium fon- „ tem rerum tanquam principium repraesentandum, vel agnoscendum, vel quo- „ cumque alio respectu indicandum. Non Trinitatis igitur, sed Patris investiganda „ potius est imago, ubicumque exemplum Dei subsistentis quaeratur. Cumque „ hujusmodi veritate omnia consentiunt. Nam si de postremis loquamur divi- „ nis hypostasibus; Persona secunda est adaequata Patris imago; Tertia ve- „ ro provenit ad agnoscendum, qualem se quantumque Pater praestiterit in sui „ necessaria, et adaequata imagine producenda: singula vero Entia creata non „ sunt, nisi partiales manifestationes Divinae Gloriae. Adaequata vero Patrem „ exprimit. Ergo etiam illae, pro modulo suo tamen. Hinc sunt Patres in- „ ter homines, ex hisque procreati Filii. Hinc ex animantibus caeteris tan- „ quam genitoribus proles enascitur. Hinc lux de sole tanquam de primaevo „ principio: vapores ex aqua et fluidis aliis, odores ex corporibus fere omni-

(a) §. 523.

„ bus; qui vapores, qui odores circumquaque ex Corporibus, qua data porta „ exiliunt: suntque in his propemodum, quod sunt manantes de Sole radii, „ sive lucis copia; ac fontem ex quo prodierint, declarant. Lux vero libenter a veteribus usurpata fuit ad explicandum modum, quo Filius ab Æterno „ Patre oritur, atque ipsum patefacit. Ac praeterea notum est solere Phy- „ sicos hodienum concipere veluti sphaerulam quandam virium, quae circum- „ quaque effunditur ab elemento quovis corporum, tanquam ex principio, et „ cum qua repellit ex contactu Corpora, vel posita in minimis distantiis at- „ trahit. Itaque si finitis in rebus quaeratur Dei subsistentis imago, prout est „ quaerenda, invenietur fere totidem in rebus, quot nobis occurrunt viventia „ corpora, imo etiam quot nobis occurrunt odora, lucida, et fluida Corpo- „ ra, ac denique quot sunt elementa, quamquam considerandum sit, hujus- „ modi esse imagines externas, et inadaequatas. Atque huc sine dubio trahen- „ da sunt Cyrilli Alexandrini verba exhibita in lib. I. adversus Julianum. *Pro „ rato habendum est in Sancta, et Consubstantiali Trinitate ineffabilis Deitatis „ intelligi plenitudinem. Nos vero conformati sumus ad veram, et accura- „ tissimam Patris imaginem, hoc est ad Filium*: nimirum sumus veluti lux „ quaedam extrorsum manantis Divinae Gloriae; quae Filius est: ob idque „ ipsum referimur primario ad Primae in nobis Personae Gloriam repraesen- „ tandam „.

80. Audistin' novum doctrinae portentum, commixtumque Chaos! Tanta siquidem in ea deprehenditur verborum, idearumque perturbatio, tanta sententiarum ambiguitas, tantaque locutionum novitas, errorumque colluvies, ut cuncta expendere singillatim, mihi factu sit impossibile, Pauca tantummodo, brevitatis ergo, notabo, ut ex hisce, cujus sit indolis, pretiique, doctrina ejusmodi Mastrofiniana, satis appareat, et maximopere caveatur. Exordiens igitur Auctor, in antecessum statuit " Divinam primo Naturam in Patre sub- „ sistere „: haec sane locutio, si ita intelligatur, nimirum, Patrem primam esse Trinitatis Personam, quae aliis Deitatis Personis, quae Pater non sunt, divinitatem ex infinita faecundate communicet; admitti potest; hoc enim sensu scimus Patrem a Conciliis, et doctoribus Ecclesiae dici passim fontem, originem, atque Principium totius divinitatis. Si alium illi loquendi formae sensum Auctor affingeret, a veritate utique foret alienus; nam asserere ex. gr. divinam primo naturam in Patre subsistere, propterea quod natura divina a Patre procedit, esset haeresis manifesta in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. (a) anathemate perculsa; nam divina Natura cum sit Spiritus, et a seipsa, habere utique non valet ullum sui Principium: item affirmare, idcirco natu-

(a) *Cap. 2. Damnamus.*

ram divinam in Patre primo subsistere, quia Pater a natura divina primo procedit; labes similiter haeretica incurreretur; quia cum Pater sit Spiritus a se, habens naturam divinam, fieri nequit, ut idem sit sui principium. Quoniam ergo illi loquendi formae multiplex est subjecta sententia, oportebat nitide explicari, quo sensu ea sumebatur; ne erroribus aditus patefieret.

81. Dum porro addit " Caetera vero pendere ex Patre, ut sint „; evidentius praebet ansam errandi, errorisque venenum incautis magis propinat. Nam si de operibus, quae Deus extra se creavit, sermo sit; eadem non a Patre solum, sed a tribus peraeque divinis hypostasibus dependent. Cum siquidem virtus agendi ad extra sequatur perfectiones essentiales, cumque in hujusmodi perfectionibus nullam Pater prae Filio, et Sancto Spiritu, praecellentiam habeat; palam est, ordinem virtutis operandi ad extra nullum dari in divinis Personis, ut vel plus scilicet, vel prius a Patre creatae res, quam a Filio, et a Sancto Spiritu pendeant: sed pari omnino ratione easdem simul a tribus divinis Personis dependere. Falsam itaque propositionem profert Mastrofinius, cum de creaturis agitur, omnia a Patre pendere affirmando. Fateor equidem, Patris, prout Pater est, Aseitatem, in operibus externis etiam se debere exerere, ut agat scilicet a se, quia divinam Essentiam Pater, etiam quoad modum habendi, habet a se: Filium porro agere a Patre, quia, etsi eandem numero Essentiam habeat, quae est a seipsa, eam tamen quoad modum habendi, habet a Patre communicatam: ac Sanctum denique Spiritum agere a Patre, et Filio, quia Essentiam ab utroque communicatam habet; nihilominus hic ordo divinarum Personarum agendi ad extra, solum indigitat originis ordinem, non vero ullam in Patre, prae Filio, Sanctoque Spiritu, praecellentiam, neque in Filio, ac in Spiritu Sancto, a Patre dependentiam arguit. Non prius; quia cum creare Deo " conveniat secundum suum esse, quod est ejus Essentia „ ut docet B. Thomas *(a)*: cumque Essentia sit tribus divinis Personis omnino communis; patet, Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum eadem omnino vi externas res operari; unde in Symbolo: " Omnipotens Pater, Omnipotens Filius, Omnipotens Spiritus Sanctus, et tamen non tres omnipotentes, sed „ unus Omnipotens „, nimirum ob divinae naturae seu Essentiae unitatem. Neque posterius; quia cum dependens juxta philosophos id dicatur, quod essentiam numero distinctam habet ab eo, a quo dependet; Filius, ac Sanctus Spiritus in operando a Patre dependere non possunt, quia Essentiam non habent distinctam a Patris Essentia, sed penitus eandem. Non eo similiter inficias, Patri, ob quandam congruentiam, adjudicari rationem primi Principii respectu creaturarum, quia primum scilicet est in Trinitate Principium; id non officit

(a) 1. *p.* *q.* 45. *a.* 6,

tamen, quominus et Filius etiam, et Spiritus Sanctus, respectu creaturarum earundem sint primum peraeque Principium: quemadmodum nihil obstat, quominus peraeque sit sapiens Pater, et Spiritus Sanctus; bonus item Pater, et Filius: quamvis sapientia Filio, et Spiritui Sancto bonitas, speciali quadam ratione tribuantur; quia videlicet, ut pluries dictum est, cum in tribus divinis hypostasibus eadem sit singularis, et numero unica Essentia, seu natura, sunt eo ipso in illis omnes hujus ex aequo perfectiones. Vides igitur, quot dubiorum ambagibus circa Fidei nostrae fundamentale maximumque Mysterium nova haec doctrina apta sit generandis.

82. Sed audet is ulterius, omnesque castigatae locutionis terminos transgrediens, affirmat " postremas etiam divinas hypostases, idest Filium, et Spiritum San„ ctum, dependere a Patre ut sint „. Dependere, si proprie sumatur, id dicitur, prout paullo ante animadversum est, quod ab eo, a quo dependet, naturam habet distinctam, et separatam; propteraque eodem ipso, a quo pendet, est inferius. Quapropter simpliciter asserere, Filium, et Spiritum Sanctum, perinde ac caetera Creata, a Patre pendere ut sint, apertissima est haeresis, quae Trinitatis Mysterium, totamque Catholicam fidem funditus evertit. Sed quis fortasse reponet, dependentiam hujusmodi lato sensu accipi hoc in loco per Mastrofinium, pro ordine videlicet originis, ob quem Filius a Patre est, et Spiritns Sanctus ab utroque, non Pater a Filio, aut uterque a Sancto Spiritu. Verumtamen (praeter quamquod exceptio haec habere hic locum non videtur, propterea quod affirmat ipse, creaturas aeque ac postremas divinas hypostases a Patre ut sint, pendere: sed porro creaturas proprie a Deo pendere certum est; idipsum igitur de Filio, et Sancto Spiritu dicendum videtur, cum nullum inter dependentiam Creaturarum, et postremarum divinarum hypostaseon a Patre sufficiens discrimen assignet; adeoque quemadmodum creaturae et ex nihilo factae sunt, et essentiam habent ab essentia Dei distinctam ac diversam; ita Filius Sanctusque Spiritus tum facti dici posse videntur, tum essentia gaudere ab illa Patris distincta ac discreta): esto quod dependentiam hoc in loco improprie quoad divinas ultimas Personas is accipiat; non evadit tamen criminis exsors; cum enim raro admodum dependentia sumatur improprie, ac in re tanti momenti quaevis vocum ambiguitas pluribus assoleat aditum erroribus aperire; cur, quaeso, Mastrofinius, neglectis vocabulorum proprietatibus, confundit universa, commiscetque? Qui Fidem Catholicam veraciter amat, non sic utique, prout Auctor hic se gerit, eloquitur, Ast non cuncta ego misceo, (videtur mihi succensere Mastrofinius), neque confundo; satis quippe discriminis inter postremarum divinarum hypostaseon, et creatorum Entium a Patre dependentiam posui, affirmans " postremas divi„ nas hypostases pendere quidem, ut sint, a Patre; sed ita tamen, ut ne-

„ queant non esse, ac vi originis accipiant etiam virtutem creandarum rerum „ quae duo de creaturis dici nequeunt : ac ita patet inter hasce, et illas palmare discrimen. Atqui ego Mastrofinio regero, ne hanc quidem exceptionem sibi prodesse, idque discrimen ad ipsum purgandum non satis esse; illa siquidem duo, quae postremis Trinitatis Personis convenire ipse pronunciat, aptari et creatis rebus similiter possunt. Primum quidem; quia creatae res universae, quamvis non esse potuerint, quandiu tamen sunt, nequeunt non esse, necessarioque a Deo in existendo dependent. Alterum vero; quia cum vis creatrix juxta Auctoris doctrinam, non sit aliud, quam vis combinandi, et distinguendi possibilia (*a*), idest disponendi ac modificaudi meteriei elementa; vis haec creandarum rerum et creaturis quoque convenire intelligitur; eoquod et in ipsis vis insit aliquid combinandi, et distinguendi, hoc est aliquam in rebus modificationem inducendi. Manifesta est igitur Mastrofinii doctrinae aequivocatio, atque deceptio.

83. Sed ad ulteriora feramur, et deteriora his perspiciemus. " Caeterum ex „ Patre omnia: Ipse primigenius fons est rerum et entitatis „. Hujuscemodi verbis magis magisque confirmat superiora, quae docuit; sed subdole, ut videtur. Vox siquidem Patris dupliciter, ut notum est, in Scripturis accipitur, relate scilicet ad internam generationem, atque relate ad creaturas. Priori sensu accepta Patris vox, Primae tantummodo Trinitatis Personae convenit; quia solus divinus Pater est, qui Filium sibi consubstantialem genuit. Et hoc sensu palam est, Patrem, seu Primam Trinitatis Personam, prout contendit Mastrofinius, primigenium rerum, et entitatis fontem dici recte non posse; nihil enim commune est inter divini Verbi generationem, et creationem rerum contingentium. Si autem sumatur Patris nomen posteriori sensu, illud non Personae alicujus, sed Essentiae nomen esse Catholica fides edocet; proindeque non primae tantum hypostasi, sed et aliis divinis hypostasibus aeque convenire. Cum namque sensu hocce posteriori Paternitas non aliud, quam Dei erga creaturas suas, praesertim rationales, bonitatem, providentiamque significet, quatenus illas creavit, conservat, moderaturque: cumque creandi, conservandi, gubernandique actiones sint tribus divinis Personis ob numericam Essentiae unitatem, indifferenter communes; est quoque perspicuum, Paternitatem hujusmodi toti similiter convenire Trinitati. Non igitur creata omnia ex Patre, seu ex Prima Persona tantummodo sunt, ut docet Auctor, sed ex tribus peraeque Personis: neque Pater tantum primigenius fons est rerum, et entitatis, sed et talis est similiter Filius, et Spiritus Sanctus; quidquid enim creatum est, a tota creatum est Trinitate: opera quippe Trinitatis ad extra, ut fert Fidei dictatum,

(a) *Vide notam 7. in prop. XII. et not. 8., et 9. in prop. XIII. et seqq.*

sunt indivisa; Pater siquidem ad extra operatur, non quatenus Pater est, sed quatenus est Deus: pariter et Filius, et Sanctus Spiritus, non qua Filius, et Spiritus Sanctus, sed qua Deus sunt, operantur. Quare cum Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus unus et idem sint Deus; una pariter in Patre, et Filio, et Spiritu Sancto creandi, conservandi, gubernandi, eademque est actio. Ergo non Pater duntaxat, sed tota Sancta Trinitas fons est rerum, et entitatis. Quamquam forma haec loquendi, qua asseritur " Patrem esse fontem rerum, „ et entitatis primigenium „ praeter falsitatem, quàm praesefert, Pantheismi quoque in ore Auctoris tetrum exhalat odorem. Quandoquidem non sic creaturas a Deo emanasse putare debemus, quemadmodum rivuli effluunt e fonte, a quo ducunt originem; rivuli quippe eandem cum fonte naturam nanciscuntur, fontisque iidem veluti sunt expansio, et evolutio. Deus enim, cum Mundum libere creavit, illum non de sinu suo, seu de sua substantia eduxit, sed semper idem omnino in semetipso manens, Mundum eundem omnesque Mundi res, penitus ex nihilo, omnipotenti suae voluntatis imperio, effecit. Sapit itaque Pantheismum propositio isthaec: " Pater primigenius fons est rerum et „ entitatis „; per ipsam namque juxta Auctoris sensum insinuatur, res omnes, cunctamque Entitatem Mundi non aliud esse, quam Patris evolutiones, explicationes, modificationes, et actuositates. Neque igitur toti Trinitati ea locutio aptanda erit, ut omnis praecaveatur ambiguitatis occasio, nisi forte rite explicetur, quo sensu Trinitas fons rerum dicatur, et entitatis; si enim ità eam interpretabimur, ut Trinitas sit rerum, et entitatis fons, quatenus res omnes a Trinitate existentiam habuerunt, tanquam a Causa extrinseca, efficiente, ac creatrice, quae easdem non aliunde, sed ex nihilo omnino sui et subjecti, eduxit; locutio ejusmodi, quoniam cum fide et ratione congruit, admitti potest: secus est abdicanda penitus, ac rejicenda.

84. Quod autem revera pantheistico in sensu proferatur propositio haec Mastrofinii: " Pater primigenius fons est rerum, et entitatis „, fit magis adhuc magisque perspicuum ex consecutione, quam ex illa idem deducit, quae est ejusmodi: " Quidquid igitur est, vel esse potest, sive necessario sit, sive con„ tingenter, debet referri ad primigenium fontem rerum tanquam principium „ repraesentandum, vel agnoscendum, vel quocumque alio respectu iudicandam „. Nova haec loquendi ratio, et nunquam in Theologia audita, apertius, si quid cerno, virus prodit pantheisticum. Si enim cuncta quae sunt, vel esse possunt, sive necessario sint, prout Filius et Spiritus Sanctus; sive contingenter, uti sunt Creaturae, ad primigenium fontem rerum, idest Patrem, tanquam Principium repraesentandum vel agnoscendum, vel quovis respectu alio commonstrandum, referri debeant; ergo idem munus tum postremis divinis hypostasibus, tum creatis rebus convenit juxta Mastrofinium, Patrem scilicet vel

repraesentandi, vel agnoscendi; ergo aliquid profecto tum Filius et Spiritus Sanctus, tum creatae res singulae, communis inter se habere debent, per quod Patrem repraesentare, vel agnoscere, vel alia ratione qualibet indicare valeant. Jam vero, quod ad secundam hypostasim pertinet, id cum eadem commune habent juxta Auctorem creata entia, ut sint manifestationes substantiales et ipsa divinae Gloriae, quemadmodum ejusdem divinae Gloriae substantialis manifestatio est Filius; cum hac tantummodo differentia, quod creaturae sunt manifestationes partiales, Filius vero est manifestatio totalis et adaequata divinae ejusdem Gloriae. Ergo tum Filius, tum creaturae ex aequo referuntur ad repraesentandum, vel exprimendum Patrem, seu sunt ejusdem Patris imago. Atqui porro haec imago, juxta Mastrofinium, datur in ipso Deo subsistente, scilicet Patre, estque adaequata, et absolutissima; atque ulterius imaginis hujus exemplum in creaturis reperiri repugnat, sed tantum in iisdem imago Patris est investiganda. Ergo creaturae dantur in ipso Deo subsistente perinde ac Filius; ergo Filius et creaturae communem naturam habent, utpote ex eodem fonte manantes, ad eundemque repraesentandum ordinatae; ergo a Filio creaturae, tamquam partes a toto, quemadmodum singuli lucis radii ab ipsa luce tota distinguuntur; quia videlicet Filius totalis est, et adaequata Patris imago; creaturae singulae, imaginis hujus particulae existunt, ac scintillulae. Dum itaque Filius, et creaturae naturae ejusdem, ac indolis esse statuuntur, nonne manifestissime Pantheismi proditur impietas? Nec obstat, quod Filius ponatur necessario existens, et immutabilis; creaturae vero existentes contingenter, et mutabiles: quod naturarum diversitatem videtur arguere. Nam lucis, et radiorum exemplo, quo Auctor tantopere delectatur, insistens, facile demonstrare possum, differentiam illam, quae Filium inter, et creaturas reponitur a Mastrofinio, naturarum in Filio ipso, creaturisque diversitatem non inferre. Et sane, lucis singuli radii, quamvis varias modificationes subeant, nimirum modo convergentes evadant, modo divergentes, nunc reflectantur, nunc refrangantur, quandoque tincti colore vario appareant, confestim autem colores illi evanescant; aliquando eorundem primitivi colores ope prismatis secernantur, et distinguantur, postmodum vero iterum insimul misceantur; semper tamen eandem lucis naturam iidem servant, nec ullimode amittunt, continueque eadem manet lucis quantitas, et natura: ita similiter creata entia, licet nunc oriri cernantur, modo interire, nunc adolescere, posthac veterascere, et interire etiam, variisque demum modificationibus obnoxia conspiciantur; semper nihilominus eandem servare possunt naturam imaginis Dei subsistentis, atque imago haec Patris semper eadem, et integra ex omni parte remanere.

85. Idipsum autem de tertia Trinitatis persona dicendum est, quae juxta Auctoris doctrinam " provenit ad agnoscendum, qualem se quantumque Pater

„ praestiterit in sui necessaria, et adaequata imagine producenda „. Nam si nos quoque homines prout rationis vi pollemus, ordinamur ad agnoscendum fontem hunc rerum et entitatis tamquam principium; consequitur, et Spiritus quoque Sancti nos veluti partes existere, quatenus intellectu et ratione valemus, ejusdemque esse naturae participes. Ergo tum Filii, tum Spiritus Sancti, quoniam utriusque veluti particulae sumus, naturae conjungimur: Filii quidem, prout existimus et modificatio quaedam sumus: Spiritus vero Sancti, quatenus entia sumus rationalia, cognoscendique vi exornamur. Quoniam deinde et Filius, et Sanctus Spiritus, eandem, quam Pater, naturam habent; ergo et Patris nos naturae copulamur; ergo in mundo non est, nisi unica tantum universalis natura, a qua, tamquam a *primigenio fonte*, vel *promptuario*, seu *scatebra*, ut verbis utar ipsius Mastrofinii, profluunt, et continuo emanant quaecumque in hac rerum universitate contingunt: quae rursum omnia ad eundem primigenium fontem, seu promptuarium et scatebram, vel naturam " tan„ quam principium repraesentandum, vel agnoscendum, vel quocumque alio „ respectu indicandum referuntur. „ Hinc (ex Patre scilicet, seu ex hoc primigenio fonte rerum et entitatis, universalique natura) " sunt patres inter „ homines, ex hisque procreati Filii. Hinc ex animantibus caeteris tamquam „ genitoribus proles nascitur. Hinc lux de Sole tanquam de primaevo princi„ pio: vapores ex aqua, et fluidis aliis, odores ex corporibus fere omnibus; „ qui vapores, qui odores circumquaque ex corporibus, qua data porta exi„ liunt: suntque in his propemodum, quod sunt manantes de Sole radii, sive „ lucis copia; ac fontem, ex quo prodierint declarant. Lux vero libenter a „ veteribus usurpata fuit ad explicandum modum, quo Filius ab Æterno Pa„ tre oritur, atque ipsum patefacit. Ac praeterea notum est solere Physicos „ hodienum concipere veluti sphaerulam quandam virium, quae circumquaque „ effunditur ab elemento quovis corporum, tanquam ex principio, et cum qua „ repellit ex contactu corpora, vel posita in minimis distantiis attrahit „. Vides quomodo cum Filii ab Æterno Patre generatione ortum rerum omnium a Deo Auctor misceat, atque confundat? Vides quomodo ipse progrediatur, inque propatulo magis doctrinam collocet suam. Exempla isthaec quae ob oculos legentium ponit, hominum aliorum ex aliis prodeuntium, animantium ex animantibus, lucis ex sole, vaporum, odorumque ex fluidis, atque corporibus, virium tandem ex elemento quovis Corporum effusarum, fontem (primigenium illum quidem rerum et entitatis) ex quo eadem haec omnia prodierint, declarare affirmat. Deinde ima summis coaequans, ac Coelum terramque miscens, inter haec exempla, filum orationis abrumpens, modum interjicit, quo Filius ab Æterno Patre (ab eodem scilicet primigenio fonte rerum et entitatis) oritur, atque ipsum patefacit. Quid cum modo, quo Filius genitus est a Patre, illis re-

censitis exemplis est, ut eodem modo tum de his, tum de Filio loquatur? Nimirum quia quemadmodum singula finita entia a Patre rerum et entitatis fonte manant, ita et Filius similiter oritur, nullumque inter hunc, et illa discrimen jacet, quam quod illa ex parte tantum Patrem declarant, Filius autem adaequate eundem exprimit: caeterum tam Filius, quam creaturae singulae ad Patrem repraesentandum ex aequo referuntur, seu ipsius imago existunt. Ad id autem melius persuadendum, lucis exemplum frequenter in medium adducit: quia videlicet sicut radii singillatim, et adaequate lucis copia de Sole, ita et singillatim creaturae, et adaequate Filius ex Patre, oriuntur, ac profluunt: ac quemadmodum lucis radii eandem cum luce ipsa, cujus particulae sunt, praeseferunt naturam, ita et creaturae singulae eadem similiter natura constant, qua Filius. Ac idcirco addit, tum " lucem a veteribus ad modum quo Filius ab „ Æterno Patre oritur, atque ipsum patefacit, explicandum, libenter usurpa„ tam fuisse „, tum " esse in his (emmeratis scilicet exemplis de hominibus, „ de bestiis, de vaporibus odoribusque, deque viribus, quae ex quovis Corpo„ rum elemento circumquaque effunduntur) propemodum, quod sunt manan„ tes de Sole radii sive lucis copia „. Qualis absurdorum abyssus!

86. Sed ultimam Auctoris conclusionem audiamus: " Itaque si finitis in re„ bus quaeratur Dei subsistentis imago, prout est quaerenda, invenietur fere „ totidem in rebus; quot nobis occurrunt viventia corpora, imo etiam quot „ nobis occurrunt odora, lucida, et fluida Corpora, ac denique quot sunt „ elementa, quamquam considerandum sit hujusmodi esse imagines externas, „ et inadaequatas „. En quo tandem sublimior haec Metaphysica nos pervehit! ad quaerendum nempe Deum in rebus creatis quibuscumque etiam vilissimis, non eo sensu, quia creaturae utpote contingentes, et existentiae suae rationem sufficientem in semetipsis habere nequentes, necessario Caussam efficentem extrinsecam, et omnipotentem expostulant, ac indicant, a qua et ex nihilo factae sunt, et in esse conservantur: sed quia, juxta tam sublimis doctrinae parentem, creaturae singulae non aliud sunt, quam *substantiales manifestationes* Divinae Gloriae, seu inadaequatae imagines Dei subsistentis, idest Patris; adeoque in iisdem talis imago est quaerenda: quae interim imago, quatenus totalis et adaequata concipitur, ipse est Dei Filius, et datur in ipso Deo: Quid poterat excogitari in ineffabilem Filii Dei majestatem amplius contumeliosum, dum is simili cum creaturis productionis genere a Patre prosiliens a Mastrofinio statuitur, in eundemque finem cum creaturis iisdem a Patre ipso productus, ac ordinatus, ad manifestandam scilicet cum creatis entibus Divinam Gloriam? Nec refert, quod creaturae per Auctorem *externae* dicantur *imagines*, et *inadaequatae*; quandoquidem ea locutio sic intelligi commode potest, ut creaturae *inadaequatae imagines* nuncupentur, quia ex

parte tantum, prout saepius notatum est, Dei subsistentis imaginem referunt, non usquequaque: dicantur autem *externae*, quia oculis nostris objiciuntur, visibilesque nobis se praebent; non quatenus alienae sint a Patris Filiique natura: eo pacto, quo lucis radii et inadaequatae appellantur Solis imagines, quia non in totum illum exprimunt, sed partialiter; et etiam imagines externae dicuntur, quia eorumdem ope et Solem ipsum et externa alia objecta circumposita intuemur; quamvis a Sole iidem radii formaliter effluant, et neque a Solis ejusdem, neque a lucis natura diversi sint ac extranei. Hinc est, quod Auctor subjungit " nimirum nos esse veluti lucem quandam extrorsum manan„ tis Divinae Gloriae, quae Filius est „. Vides, juxta Mastrofinium, Divinam Gloriam, quae Filius est, etiam extrorsum manare, adeoque etiam externe Patrem repraesentare, seu quoque esse Dei subsistentis externam imaginem; proindeque finitas res, quas Dei subsistentis *externas imagines* vocat, unum idemque esse cum Dei Filio, seu unam eandemque cum ipso Dei subsistentis imaginem conflare. Quod patere puto manifestius ex iis, quae (*a*) inferius docet, nimirum ut ostendat, Filii productionem non ex voluntate fieri, sed esse illam naturalem, et necessariam, ita argumentum ex secunda Trinitatis demonstratione eruit: " Tam sunt in Deo necessariae Personae tres, quam ipsa vis „ creatrix. Porro vis hae auferri a Deo nequit consentientibus in id cunctis „ Philosophis, qui materiae obsoletam aeternitatem abdicarunt. Necesse est „ igitur tribus constare Deum Personis, ideoque Secundam, quae de prima „ prosilit .... ineluctabili, vel naturali productione foras erumpere „. Jam praetermissis caeteris, utpote ad rem nostram modo non facientibus, quae de hujusmodi Mastrofinii ratiocinio commentari possem, velim duntaxat seculo animadvertatur altera consequentis pars, qua affirmat " Secundam Personam, „ quae de prima prosilit, ineluctabili, vel naturali productione FORAS ERUM„ PERE „. Dum enim ita loquitur Mastrofinius de Secunda Trinitatis hypostasi, manifestam haeresim prodit. Cum enim Catholica Fides apertissime doceat, processionem Filii a Patre, et processionem Sancti Spiritus ab utroque esse operationes ad intra, quia termini processionis utriusque sunt in Deo immanentes; dicere cum Mastrofinio, Filium Dei ineluctabili vel naturali productione a Patre prosilire, forasque erumpere, quid aliud, plurimum quaeso, est, quam affirmare, Mundum hunc universum, ipsum esse Dei Filium non libere, non de nihilo, sed ex ipsa Dei substantia, ineluctabilique necessitate prosilientem, ac foras erumpentem: singulaque mundana entia Filii ejusdem totidem portiones existere? cum enim Deus Mundum, prout fides, et ratio nos instruunt, extra se ex nihilo effecerit; asserere, Filium Dei naturali produ-

(a) 738. *pag.* 327.

ctione, et ineluctabili a Patre prosilire, et foras erumpere, perinde omnino est, ac internas Dei operationes cum externis confundere, Filiumque ac Mundum eandem rem esse constituere. Quod, uti patet, nihil est aliud, quam purum putumque Pantheismum palam profiteri, inculcare, edocere. Ex hisce notulis, quas tumultuarie confeci, satis superque patescere reor, quam pestifera, quantumque a Catholico viro odio sit habenda doctrina Mastrofinii: cujusque propterea sit pretii tertia Trinitatis Mastrofiniana demonstratio, cui jam finem imponit. Sed pauca quaedam alia ad majorem Mastrofinii doctrinae intelligentiam, hactenus disputatis adnectamus.

PROPOSITIO L.

„ *Ergo Personae tres dum, quatenus Personae sunt, operantur; eae tamen* „ *operantur, prout sunt Ens existens, per seque existens cum intestinae actio-* „ *nis termino: nempe prout singulae conspirant, ad summam rem unam,* „ *quae Deus est, absolvendam, sive formandam* „. (§. 619. pag. 273.).

NOTAE.

87. Tribus de Trinitatis existentia demonstrationibus jam absolutis, suscipit Mastrofinius toto sexto Operis sui libro de tribus divinis Personis in commune disserere; ac sexto item libri ejusdem capite inquirens: *Num in rebus procreandis Divinae Personae agant etiam, qua distinctae sunt Personae, et quatenus*; actutum in ipso capitis initio (a) constituit " divinas Personas in „ rebus extra Deum moliendis operari debere quatenus distinctae sunt Perso- „ nae, sed quatenus eae tamen referuntur ad unum quoddam intus in ipso „ Deo formandum „. Idque ex eo demonstrat: quod " Deus, prout est Ens „ existens vique sua existens, quodque interiorem suam explevit actionem, „ idest immanentem huic turminum comparavit „ res extra se positas peragere debeat. " Quoniam vero Deus (ut ipse pergit docere) quatenus est Ens per „ se existens, seu quatenus principium est divinae existentiae refert personam „ Patris: quatenus vero in divina substantia concipitur id quod rationem in „ semetipso habet existentiae; eatenus consideratio nascitur secundae Perso- „ nae; quatenus denique substantia eadem spectatur cum immanente interioris „ actionis termino; praebet notionem tertiae Personae. Ergo (ita concludit) „ divinae Personae agunt etiam qua distinctae personae sunt, in rebus procrean- „ dis, et continendis „. Alteroque dato argumento, ac aliis quibusdam no-

(a) §. 619. *pag.* 272.

tatis, conclusionem, quam protulimus, constituit. Quam profecto propositionem, quatuor duntaxat paginarum intervallo, decies omnino, iisdem fere verbis, repetit; ut videlicet agnoscatur, sibi maxime cordi esse, ut eadem lectorum animis altius insculpatur, tenaciusque insideat. Jam vero propositio ejusmodi aenigmatis cujusdam intellectu solutuque difficillimi similitudinem praeseferre mihi videtur; quis enim adeo perspicaci erit, acutoque ingenio, ut facile, nitideque simul valeat intelligere, quid sibi Auctor velit, cum affirmat, „ divinas Personas dum, quatenus Personae sunt, operantur, operari tamen „ eas, prout sunt Ens existens, per seque existens cum intestinae actionis „ termino, nempe prout singulae conspirant ad summam rem unam quae Deus „ est, absolvendam, vel formandam „? Dabo nihilominus, Deo juvante, operam, ut quae sit ei propositioni subjecta sententia, quantum mihi possibile erit, in manifesto ponatur. Principio moneo, novam hanc, et insuetam dicendi formam, ipsamet se sua novitate confodere, odiumque bonorum, atque execrationem sibi consciscere, licet catholicus sensus eidem subesset: deinde ob sui obscuritatem, magnopere in fide suspectam evadere; qui namque fidei loquitur consentanea, ambiguitatem omnem, obscuritatemque verborum sollicite praecavens, sententiam suam, perspicue, exacte, proprieque exprimit, ac declarat: magisque praeterea malam ingerere suspicionem, ex eo patet, quod Deum operari ad extra quatenus Trinum, novum sit penitus in Theologia; " Deus enim (ut Abelly ex ore omnium Theologorum pronunciat in „ sua Medulla Theologica (a)) ad extra non operatur ut Trinus, sed quatenus est unus „; quia nempe Creaturae ex nihilo factae sunt per Dei omnipotentiam, quae toti Trinitati indifferenter communis est. Quid igitur est, unde Mastrofinius Personas, quatenus distinctae sunt Personae, ad extra operari concludat, cum nulla ex Theologia, neque ex ratione ita concludendi ratio praesto sit? Tandem magis magisque fieri de errore suspectam; dum Auctor explicans, quo sensu Personae tres, qua Personae distinctae sunt, operentur, inquit, eas operari tamen " prout sunt Ens existens, per seque „ existens cum intestinae actionis termino „. Si enim ita est, ut asserit Mastrofinius; ergo Creaturae non amplius a libera Dei voluntate, sed ab ejusdem existentia dependebunt; adeoque quemadmodum et ab aeterno, et necessario Deus existit, ita et necessario similiter, et ab aeterno existent Creaturae. Nam cum Deus ab aeterno ex necessitate naturae suae existat, ut omnino impossibile sit non existere: liberrimus vero sit penitus circa finitarum rerum creationem ex nihilo, ita ut, si voluisset, easdem non creare potuisset; ideo si creaturae dependere ponantur, prout fides docet, ac ratio, a libera Dei vo-

(a) *Tract. de Trin. c. 2. sect. 1. n. 2.*

luntate; facile intelligitur, creaturas et contingentes esse, quia, poterant non esse, et in tempore simul factas esse, quia voluntas Dei, quae circa ipsas libera est, voluit, quamvis immutabili aeternoque consilio, easdem existere ex tempore. Verum si creaturae ponantur dependere ab existentia Dei, ab ejusque intestina actione, qua producitur terminus interior, idest Sanctus Spiritus, ut docet Mastrofinius; quomodo salvari valeat earumdem contingentia, et temporanea productio, prorsus non video; quod enim a Causa aeterna, necessario existente, necessarioque operante dependet, contingens utique esse non valet, neque temporaneum, sed necessarium, et aeternum. Vides quantum a recta via deflectat Mastrofinius, quamque latum erroribus aditum patefaciat.

88. Sed haec minora sunt mala, quae continet Mastrofiniana propositio. Tota praeterea Pantheismi faeditas in eadem concluditur. Si enim, ut explicare magis sensum suum pergit, singulae Trinitatis Personae, dum qua distinctae Personae sunt, operantur, collineent, referantur, conspirent (sunt verba ipsius) ad unum quoddam intrinsecus in ipso Deo, hoc est naturam divinam, efformandum, constituendum, absolvendum, terminandum, conficiendum; ergo hoc unum quoddam in ipso Deo, seu natura divina, a tribus Personis per Creaturarum productionem, constituitur, efformatur, absolvitur, terminatur, atque conficitur; ergo ante Craturarum existentiam, natura divina constituta non erat, neque efformata, neque absoluta, neque terminata, neque confecta; ergo, quoniam novae in dies creaturae existere cernuntur; quotidie etiam natura Dei a tribus Personis ulterius constituitur, efformatur, absolvitur, terminatur, conficitur. Porro constitui, efformari, absolvi, terminari, confici, si proprie loqui velimus, eae res dicuntur, quae prius inceptae vel imperfectae, postmodum complentur, ac perficiuntur. Quapropter Personae tres dum operantur exterius, si eo ipso referantur ac conspirent ad constituendam, efformandam, absolvendam, terminandam, conficiendam intrinsecus divinam naturam; nihil profecto aliud peragunt, quam ipsam Dei naturam complere, ac perficere. Ergo ante finitarum rerum productionem, incompleta erat, ac imperfecta Dei natura; ergo creatae res advenerunt, tanquam divinae naturae perfectio, et complementum; ergo ad ipsam pertinent, tanquam *specificae proprietates*, cum eaque unum quoddam constituunt, efformant, absolvunt, terminant, conficiunt; ergo unica tantum existit natura, quae divina nuncupatur, eorum omnium, quae contingunt, scatebra et promptuarium, quaeque rursum omnia ad naturam hanc ipsam sempter praeterea complendam, perficiendamque collineant, referuntur, atque conspirant.

89. Nec reponat Mastrofinius, locutionem ejusmodi, qua dicitur „ divinas „ Personas, dum extrorsu m operantur, conspirare, seu referri ad summam rem

m

„ unam conficiendam, seu efformandam, hunc sensum reddere, nimirum, operari eas, prout unum sunt quoddam, quia unica omnium est divinitas „. Nam esti sensum hunc, et non priorem, quem patefeci, ea locutio haberet; adhuc nihilominus eadem ab errore prorsus purgari nequiret; cum enim in Deo, ut docet B. Thomas (*a*) relationes idem sint quod divina essentia, seu cum divina Essentia, prout idem docet (*b*), idem sit quod persona; dici proprie non potest, divinas Personas, conspirare, seu referri ad divinam Essentiam constituendam, formandam, absolvendam, terminandam, ac conficiendam; nihil enim ad semetipsum id quod jam perfecte est, constituendum, efformandum, absolvendum, terminandum, conficiendumque referri proprie valet. Secus dicendum foret, aut divinas Personas per has relationes realiter distingui ab Essentia, quemadmodum Personae eaedem per relationes Paternitatis, Filietatis, ac Spirationis realiter inter se distinguuntur; adeoque esse in Deo non Trinitatem, sed quaternitatem: quod foret manifesta haeresis damnata in Conc. Lateran. IV. (*c*) definiente quod " una quaedam summa Res est, incomprehensibilis quidem et ineffabilis, quae veraciter est Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus; tres simul Personae, ac singillatim quaelibet earundem: et ideo in Deo solummodo Trinitas est, non quaternitas: quia quaelibet trium Personarum est illa Res, videlicet substantia, Essentia, seu natura divina: quae sola est universorum principium „; aut divinam naturam non esse omnino simplicem, cum a Personis simul conspirantibus (id quod aliquam compositionis speciem praeseferret) constituatur, efformetur, absolvatur, terminetur, conficiaturque: quod rursus esset haereticum, utpote Dei simplicitatem evertens. Etsi ergo locutioni ejusmodi Mastrofinii vera notio affixa esset; eatamen admittenda non esset, quia facilius errandi occasionem praeberet, notamque Auctori, arrogantis hominis, temerariique inureret, utpote qui, relictis ducibus falli nesciis Ecclesia ac Patribus, sensum suum sequitur, novamque viam ab se excogitatam in explicando Mysteriorum maximo terit. Verumtamen non hunc, sed priorem, quem explicui antea, sensum Mastrofinianae subjectum esse propositioni satis superque patere reor; tum quia superior sensus ille magis est obvius, cumque totius serie operis maxime cohaeret: tum quia ea affirmare pergit, quae sensum eundem majori ponunt in lumine; commentans namque hunc Pauli textum (*d*): „ Quoniam ex ipso, per ipsum, et in ipso sunt omnia „, ita loquitur (*e*): " Atque hic oblata occasione animadvertatur quam apte Pauli verba ex *ipso*, *per ipsum*, et *in ipso* cum ea, quam in III.

(a) 1. *p. q.* 28. *a.* 2.
(b) 1. *p. q.* 39. *a.* 1.
(c) *De summa Trinit. c.* 2. *Damnamus*.
(d) *Rom.* 11., 36.
(e) §. 624. *pag.* 275.

„ libro dedimus, Trinitatis demonstratione conveniant: Ex ipso, ex Patre sci-
„ licet, quia nempe principium est intimum per seque subsistens, quare in di-
„ vina substantia sit id quod rationem habet existentiae: Per ipsum, per Filium
„ nimirum, eo quod hic interea dum necessario ac indivisim subsistit, rationem
„ divinae habeat existentiae: qua posita, continuo interior divina actio termi-
„ num sibi poscat immanentem, ut mox quoque foris valeat operari. Omnia ita-
„ que bene per Filium perfici praedicantur, quia per additam existentiae ra-
„ tionem interior divina actio veluti primum debeat ad operandum pertransi-
„ re: vel potius quia cuncta quae a substantia qualibet fiunt, peragi haec
„ dicantur per substantiam quatenus existentem: consideratio autem divinae
„ substantiae prout existentis exhibeat Filium primario contemplandum. De-
„ nique omnia in Spiritu facta perhibentur: nimirum, quia externa omnia quae
„ a Patre confici dicantur per substantiam prout existentem, nihilominus fiunt
„ in actione substantiae prout interius terminata. Jam vero tertius e Trinita-
„ te, quamquam plene in unico Deo subsistat; habet nihilominus rationem
„ termini, qui divinam et immanentem actionem consequitur, et obsignat „.

90. Jam primo haec Mastrofiniana Paulini textus interpretatio explodenda omnino est, utpote a sensu, quem SS. Patres in eodem textu inesse docuerunt, penitus aliena. Jacobus Tirinus, qui Patrum vestigiis indivulsim inhaeret, ita ex eorundem sententia ea Pauli verba interpretatur (*a*): " Quoniam
„ ex ipso tanquam primo effectore: et per ipsum tanquam primum directo-
„ rem .... et in ipso tanquam abysso omnis perfectionis: graece est in *ipsum*,
„ supple tanquam ultimum finem, sunt omnia quaecumque habent verum esse,
„ inquit S. Thomas „. Ex quibus Tirini verbis patet, locutiones hasce Ex *ipso* et *per ipsum*, et *in ipso*, de tribus divinis hypostasibus perinde dici: nimirum, Omnia ex ipso, Patre scilicet, et Filio, et Spiritu Sancto tanquam rerum Caussa efficiente; quia non minus Pater est rerum efficiens Caussa, quam Filius, et Spiritus Sanctus; unde in Concil. Later. pluries citato (*b*), Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus dicuntur " Unum universorum Principium: Crea-
„ tor omnium visibilium, et invisibilium, spiritualium, et corporalium „. Rursus omnia per ipsum, Patrem similiter, et Filium, et Spiritum Sanctum, quatenus tam Pater, quam Filius, et Spiritus Sanctus sunt unus rerum director, Moderator, et Rex. Omnia tandem in ipso, seu in ipsum, Patre item, et Filio, et Spiritu Sancto; tum quia Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus unus sunt rerum ultimus finis, tum quia una existunt omnis perfectionis Abyssus. Horum porro ratio est, quam saepe produximus, quia cum rerum creatio, conservatio, et in finem directio ad perfectiones essentiales pertineant; de tri-

(a) *Comm. in Ep. ad Rom. c. XI.* (b) *Cap. firmiter.*

bus peraeque Personis praedicari debent, quia perfectiones essentiales iisdem tribus Personis indiscriminatim conveniunt. " Quae attributa (subdit Tirinus) „ licet omnia conveniant singulis divinae Trinitatis Personis, tamen a SS. Athanasio, Basilio, Ambrosio, Hilario, Origene, Augustino, Gregorio, et aliis „ Patribus, ac Doctoribus singula singulis, ut jam distinxi, appropriantur „. S. Thomas rationem rei hujus assignat, inquiens (a) " Secundum vero quartam considerationem, prout consideratur Deus in habitudine ad suos effectus sumitur illa appropriatio *ex quo*, *per quem*, *et in quo*. Haec enim „ praepositio *ex* importat habitudinem quandam caussae materialis, quae locum non habet in divinis. Aliquando vero habitudinem caussae efficientis: „ quae quidem competit Deo ratione suae potentiae activae. Unde appropriatur „ Patri, sicut et potentia. Haec prepositio *per* designat quidem quandoque „ causam mediam: sic dicimus, quod faber operatur per martellum. Et sic „ ly *per* quandoque non est appropriatum, sed proprium Filii secundum illud Jo. 1. Omnia per ipsum facta sunt: non quia Filius sit instrumentum: „ sed quia ipse est principium de principio. Quandoque vero designat habitudinem formae, per quam agens operatur: sicut dicimus, quod Artifex „ operatur per artem. Unde sicut sapientia et ars appropriatur Filio: ita et „ ly *per quem*. Haec vero praepositio *in* denotat proprie habitudinem continentis. Continet autem Deus res dupliciter. Uno modo secundum suas similitudines, prout scilicet res dicuntur esse in Deo, in quantum sunt in „ ejus essentia. Et sic hoc quod dico *in ipso*, esset appropriatum Filio. Alio „ vero modo continentur res in Deo, in quantum Deus sua bonitate eas conservat, et gubernat, ad finem convenientem adducendo. Et sic ly *in quo* „ appropriatur Spiritui Santo, sicut et bonitas „. Ita S. Doctor. Ex hac itaque catholica Apostoli textus interpretatione liquido apparet, quam contorta sit falsaque illa Mastrofinii. Expungi ergo ea debet juxta generales Indicis Regulas: quarum quae secunda est ordine, mandat, " expungi etiam oportere verba Scripturae, quae ad sensum detorquentur abhorrentem a Catholicorum Patrum, atque Doctorum unanimi consensu „. Quis enim unquam inter Patres, doctoresque Sanctae Ecclesiae haec somniavit, " ut omnia ex „ Patre esse propterea diceret, quia Pater principium est intimum, per seque „ subsistens, quare in divina substantia sit id quod rationem habet existentiae? Omnia per Filium, eo quod hic interea dum necessario, ac indivulsim subsistit, rationem habeat divinae existentiae? Omnia denium in Spiritu Sancto, quia externa omnia, quae a Patre confici dicantur per substantiam prout existentem; nihilominus fiunt in actione substantiae prout inte-

(a) 1. *p. q.* 39. *a.* 8.

„ rius terminata: seu quia Spiritus Sanctus habet rationem termini, qui divi-
„ nam actionem consequitur et obsignat? Patet igitur imprimis Mastrofinia-
„ nae interpretationis temeritas.

91. Sed et pantheismi quoque infecta, Mastrofinii interpretatio, errore deprehenditur. Si enim omnia ex Patre idcirco esse Mastrofinius dicit, quia Pater *principium* est *intimum per seque* existens, cur in divina substantia sit existentia; consequitur, Patrem ipsum existentiae Creaturarum principium esse internum, per seque existens, perinde ut est principium existentiae in divina substantia, idest Filii. Nam si juxta Mastrofinium propterea ex Patre proficiscitur id quod in divina substantia habet rationem existentiae, quia Pater existentiae ejusdem principium est immanens et internum; ergo a pari si ob id omnia (creata scilicet) ex Patre esse idem asserit, quia Pater principium est intimum, cur in Deo sit existentia; consequitur apertissime, et existentiae omnium creatorum entium Patrem esse intimum pariter principium. Affirmare porro, Patrem esse principium intimum existentiae creatorum omnium, quid aliud, quaeso, est, quam omnino desipere cum Pantheistis? Adhaec quoniam, prout advertit S. Thomas, praepositio *ex* dupliciter accipi potest, quatenus scilicet habitudinem dicit causae materialis,ut ex. gr. Simulacrum ex aere tanquam ex materiali causa conflatum dicimus; et quatenus habitudinem importat causae efficientis, ut artefactum ex Artifice dicimus elaboratum; haec loquendi ratio qua dicitur "
„ Ex Patre omnia, quia ipse principium intimum est, perseque existens, cur in
„ divina substantia sit id quod rationem habet existentiae " magis auget suspicionem, quod Pater per Mastrofinium sit principium materiale, ex quo tum totalis existentia, idest Filius, tum existentiae partiales, nempe creaturae, consequutae sint, atque emerserint. " Si enim ita se habeat quodammodo Fi-
„ lius ad Paternam substantiam (prout alibi (*a*) etiam ipse Mastrofinius se ex-
„ plicuit) quemadmodum se habet figura ad Corpus „; ecquis non confestim perspiciat, Patrem ab ipso haberi tanquam materiale principium divinae existentiae, et existentiae creaturarum, quemadmodum principia, ex quibus Corporum figura conflatur, vicem tenent caussae materialis respectu ejusdem? Similiter si omnia per Filium ideo sunt, quia Filius habet in divina substantia existentiae rationem; ergo creata omnia per divinam existentiam existunt, seu ab ea tanquam partes a toto dependent, cum eaque necessario et intime connexa sunt. Ergo " Filius ita est existentia (sunt verba Mastrofinii (*b*)), ut
„ stirps quoque sit ac germen existentiae creaturarum: quasi exoriente Filio,
„ oriretur id quod est existentia, nimirum id cujus deberent, modo tamen
„ simplicissimo, finitae substantiae participare „. Quare Filius, et finitae substan-

(a) *Vid. not.* 33. *in prop. XXXV.*   (b) *Vid. not.* 31.

tiae idem sunt, seu eandem habent existentiam, ita tamen ut Filius tota existentia sit; finitae vero substantiae veluti particulae existentiae ejusdem, cum ex ipsa tanquam rami ex trunco, et ex germine surculi pullulent, ac prosiliant. Ita demum, si omnia in sancto sunt Spiritu, eo quod " ipse rationem „ habeat termini, qui divinam et immanentem actionem consequitur, et obsignat„; ergo eadem Dei existentis actio, quae producit Spiritum Sanctum tanquam terminum ejusdem, producit et creaturas, atque adeo actiones creaturarum: has quidem, quatenus actio divina foris agere concipitur; illum vero, quatenus eadem agere concipitur introrsum. Ergo Spiritus Sanctus, et creaturarum actuositates sunt unum idemque, quia terminus idem divinae actionis existunt; et sane, si Spiritus Sanctus est terminus ejusmodi divinae actionis, ut eam consequatur, et obsignet; ergo rerum actuositates Spiritum Sanctum constituunt; nam si aliquid eaedem forent a Spiritu Sancto diversum, non recte is affirmasset, Spiritum Sanctum consequi, et obsignare divinam et immanentem actionem; quod enim ab aliquo consecutum est, et signi impressione occlusum, extra illud non excurrit. Quae profecto Pantheismum undequaque redolent. Quam quidem doctrinam clarius adhuc insinuat, dum addit; " Vere igitur omnia „ ex ipso, per ipsum, et in ipso; adeo ut consideratio habenda sit per„ sonarum quatenus personae ac interim ad unum quoddam in Deo forman„ dum referuntur. Cum posito principio, quare Deus existat, posito eo quod „ rationem existentiae habet, divinaque considerata actione prout interiore „ praedita termino; jam summa res illa praesto sit quae Pater est, ac Fi„ lius, ac Sanctus Spiritus, quaeque numero unica et perfectissima divina na„ tura nuncupatur „. Nam si ex *ipso*, per *ipsum*, et *in ipso*, de Deo praedicantur, prout ipse ad creaturas refertur, cur considerationem creaturarum Mastrofinius hic non habet, sed tantummodo principii seu Patris *ex quo*, existentiae, seu Filii, *per quem*, ac termini, seu Sancti Spiritus, *in quo?* nam posito Principio, posita existentia ab illo principio consequuta, positoque actionis termino, qui a substantia existente proficiscitur, nihil aliud praesto esse Auctor affirmat, quam summam rem illam, idest Patrem, ac Filium, Sanctumque Spiritum, quae unica numero et perfectissima divina natura nuncupatur. Ubinam sunt creaturae quae ex ipso, per ipsum, et in ipso sunt? evanuere.

92. Nondum voti compos est Mastrofinius. Rem provehit ulterius, affirmans (*a*) " Quamque creatam rem, tanquam effectum, necessario connexam „ esse cum divinae substantiae unitate, ac personarum, qua Personae sunt, „ Trinitate „. Si de ea connexione, quae dependentiae dicitur, loqui Auctor

(a) § 526. *pag.* 276

intelligeret, verum fateretur, et ab omni propositio ejusdem, errore immunis foret; necessario quippe Creaturae dependent a libera Dei voluntate; adeo ut, nolente Deo, neque creaturae existere primo valerent, neque in accepta existentia perseverare. Sed animadvertendum est, rerum creationem nihil ponere in Deo; secus, cum creatio in tempore facta sit, aliquid in Deo inesset temporaneum: quod esse nequit; adeoque relationem in Deo ad creaturas, non realem esse, et intrinsecam, sed estrinsecam solummodo, ac rationis. Si ita est, non video, quomodo creaturae dici possint necessario connexae, *arctissimeque divinctae* cum Dei unitate, ac trium Personarum existentia; praesertim cum ratio connexionis hujuscemodi non exinde derivatur, quod creaturae ex nihilo factae sint, et in esse conserventur, omnipotenti Dei nutu, proindeque tanquam effectus a Causa, extrinseca quidem, necessario dependeant; sed ex eo per Mastrofinium, quod Deus „ dum extra se aliquid agit, opeߪ„ ratur prout est substantia, quae intimo praedita est existendi principio, „ prout substantia est, quae habet id, in quo sita est ratio existentiae, ac „ etiam prout est substantia, quae immanentem jam obtinet interioris actio„ nis terminum „ Haec namque Mastrofiniana ratio, uti est nova, et prorsus inaudita penes Theologos, ita et Panteismi, prout vidimus, veneno undique scatet. Quod quidem Mastrofinianae doctrinae venenum magis fit patens ex iis, quae statim subdit, docens " Creaturas (quoniam ex natura actionis „ divinae, qualis est in sese, vel certum et intimum sibi exigit terminum, „ conditio pendet actionis ejusdem quatenus attingit res extra positas), spe„ ctari debere omnino veluti conjunctas cum Tertia persona; quia videlicet „ creaturae sunt terminus divinae actionis, prout foras prosilit, quemadmo„ dum actionis ejusdem, prout intra Deum operatur, Spiritus Sanctus termi„ nus est. Cumque porro persona tertia cum reliquis duabus tam arcte copu„ letur quam quod maxime; patere etiam, creaturas quaecumque sint, ne„ cessario nexu cum divina Trinitate colligari „. Quae disserendi ratio magis magisque Mastrofinii doctrinae virus detegit. Si enim creaturae ita cum tertia Persona, utpote cum ipsa ab eadem actione prodeuntes colligantur, quemadmodum haec ipsa cum Patre conjungitur ac Filio; est etiam palam consequens, creaturas a natura Patris Filiique non dissidere, quemadmodum eandem habet Persona tertia cum Patre Filioque naturam. Vides quomodo eandem ubique doctrinam doceat, inculcet, promoveat Mastrofinius.

PROPOSITIO LI.

„ *Inquio verbum* Creavit (*quod dictum est de Sapientia divina*, *prout ab* „ *aeterno genita fuit*: *nimirum de Filio Dei*, *quatenus nondum considera-*

„ *tur humanae naturae copulatus*) *explicari posse*, *quin veritatis Fideique* „ *jactura fiat*, *in* proprio *sensu* „ (§. 763. pag. 334.).

NOTAE.

93. Commentans Mastrofinius illud Proverbiorum (*a*) " Dominus creavit me „ initium viarum suarum in opera sua etc. „, relatis in antecessum rationibus, quibus illud Patres, ac Doctores Ecclesiae fuere interpretati, neque per easdem ei satisfactum, novam ipse interpretationem in medium adducit, qua contendit, vocem hanc *creavit*, de Dei Filio, quatenus a Patre genitus est, explicari posse, ac sumi proprio in sensu, quin fidei, ac rationi injuria fiat. Quo nescio an melius Arianorum caussa juvari posset. Nam creatum in sensu proprio dicere Dei Filium, perinde est, ac ipsum facere creaturam. Proprie namque accepta creatio, omnium Philosophorum sententia, productionem importat totius rei ex nihilo sui, et subjecti. Quare si juxta Mastrofinium creatio proprio in sensu aptari possit in Dei Filium; consequens inde est, aut ipsum Dei Filium e nihilo omnino emersisse, Patris actione, quemadmodum reliqua creata entia, non autem ex substantia Patris, prout fides docet, esse genitum; aut, si id neget, creaturas reliquas, perinde ac Filium, non de nihilo, sed de Patris profluxisse substantia. Nec refert, quod Auctor creatum quidem proprie Dei Filium affirmet, veruntamen addat " ipsum non habere „ se tamquam unum creaturarum „; nam cum creari, si proprie sumatur, nihil aliud sit, prout diximus, quam productio prorsus ex nihilo, tam sui scilicet, quam subjecti; si creatio proprio in sensu in Dei Filium transfertur, quantumvis creationis vocabulum abstergatur, semper e nihilo prodiisse dicendus idem erit: ad summum creaturarum perfectissimus, ac nobilissimus dici poterit. Neque est etiam cur Mastrofinius vocabulis *generationis*, et *intellectus*, quae Deo, et creaturis conveniunt, proprioque in sensu, fidat. Siquidem cur vocabula isthaec Deo, creaturisque proprio in sensu tribuamus, manifestissima praesto est ratio; nulla vero suppetit, cur vocabulum creationis proprio in sensu, quod nonnisi creatis rebus convenire valet, in Dei Filium aptetur. Et sane quod pertinet primo ad *intellectus* vocem; quamvis inter divinum, creatumque intellectum infinita jaceat distantia, ac differentia (Intellectus namque divinus 1. est ipsamet divina Essentia: creatus vero intellectus per modum potentiae concipitur: 2. Divinus in nullo ab actuali cognitione deficit, creatus in pluribus in nuda subsistit facultate cognoscendi sine actuali cognitione 3. Intellectus Dei

(a) c. 8. v. 22.

quia infinitus, omnia simul cognoscit; creaturarum vero intellectus, quae cognoscit, ob sui limitationem, cognoscit successive: 4. Divinus universa omnino distinctissime cognoscit; creatus in multis cognitione confusa tantummodo obscuraque gaudet: 5. Intellectus divinus immensus est, et illimitatus; creatus e contra, quia finitus, est in se commensurabilis: 6. Divinus ab omni errore errandique possibilitate penitus abest; creatus autem non est sine errore errandique potentia etc.); nihilominus tum Divinus, tum Creatus intellectus in nominis definitione conveniunt; intellectus quippe definitur = Vis percipiendi omne ens, et modum entis =; Quae quidem intellectus definitio proprie, prout patet, quamvis non eodem modo, ut dictum est, Deo convenit, et creaturis. Similiter dicendum venit de *generationis* vocabulo. Etsi namque infinitum inter Divini Verbi a Patre generationem, et generationem creaturarum discrimen intersit (nam generatio Filii Dei non fit: 1. per utriusque sexus concursum, utpote perfectissima, spiritualis, et per intellectum: 2. non fit per mutationem, quia aeterna est: 3. non multiplicat numero Essentiam, quia Pater generans, genitusque Filius numero unius sunt Essentiae: 4. est absolute necessaria: 5. non fit in tempore, utpote aeterna: quae sane omnia creaturarum generationi non competunt); in hoc tamen tum Verbi Divini generatio, tum generatio creaturarum conveniunt, ut utraque definiatur = Origo viventis a vivente principio conjuncto secundum similitudinem naturae =; unde S. Thomas (*a*) docet, haec et his similia vocabula de Deo, et creaturis analogice praedicari. Atqui vero quae unquam analogia, vel proportio est inter generationem, et creationem, ut, quemadmodum Filius proprie generatus dicitur a Patre, ita et proprie pariter ab eodem creatus dici queat, cum generatio, et creatio proprie dicta, ne in nominis quidem definitione conveniant; nam illa in suo conceptu originem includat viventis a vivente principio conjuncto in similitudinem naturae; haec productionem rei exprimat ex nullo penitus praejacente subjecto? Qui ergo creatio vere proprioque in sensu aptari in Dei Filium valebit, quemadmodum vere ac proprie, ex Catholicae veritatis regula *genitus* appellatur? Vehementer igitur Arianismi suspecta haec Mastrofinii propositio censenda est.

94. Sed quidquam pejus latet in Mastrofinii propositione. Audiamus, quam afferat rationem, cur creatus proprio in sensu dici possit Dei Filius: " Ac „ certe (inquit), si quae in tertia demonstratione Trinitatis prompsimus „ (§. 449. et seq.), meminerimus; adjungimus creaturae nomen finitis enti„ bus, quae prodierunt ad existentiam, ut quodque, pro captu suo, Divi„ nam Gloriam revelaret. Jam vero divinus Filius ut in eadem demonstratio-

(a) 1. *p. q.* 13. *a.* 5.

n

„ ne Trinitatis docui, prodiit ex Patre ut adaequata ac subsistens esset ejusdem Gloria (§. 469. 478.), nempe ut vivens ac substantialis revelatio attributorum divinae Naturae conceptae ut subsistentis. Vere igitur creandi vox aptari etiam poterit in divinum Filium; eo modo tamen, quo generationis, intellectusque nomen confertur in Deum: nimirum non inde sequitur Divinum Filium habere se tanquam unum creaturarum. Cum subsistens illa Dei Gloria sit numeris omnibus absoluta, vel adaequata, et necessario manaverit de substantia Patris ita postulante: creaturae vero veluti scintillula, atque particula sunt Divinae Gloriae, easque nutu voluntatis suae Deus traijcit ad existentiam „. Vides, quanta huic Mastrofinii ratiocinio subsit absurditas! Non idcirco finitis rebus, creaturae nomen tribui tradit, quia ex nihilo sui, et subjecti a Deo factae sunt, uti fides, ratioque docent; sed propterea quod singulae ad existentiam prodierunt, ut pro cujusque captu, divinam Gloriam revelarent. Quoniam autem Filium asserit totalem esse, ac adaequatam Divinae Gloriae manifestationem; ideo concludit et in Dei Filium ipsum creandi vocem, et quidem in proprio sensu, aptari posse, licet excellentius quam Creaturis reliquis eadem tribuatur. Ex quo patet, veri nominis creationem a Mastrofinio non admitti, sed per creationis vocabulum ab eodem intelligi non aliud quam combinationes, limitationes, distinctiones divinarum proprietatum generatim acceptarum, seu divinae essentiae, prout, ut vidimus (*a*), in sua Dissertatione antea docuerat. Nihil igitur mirum, si creandi vocem etiam in Dei conferat Filium, cum Filius sit adaequata divinae Gloriae revelatio per Mastrofinium, seu divinae substantiae, infinita, et numeris omnibus absoluta existentia, cujus creaturae sunt veluti *scintillula*, atque *particula*. Nec obstat, quod Filium, qui est adaequata Dei Gloria, dicat *necessario manare de Patris substantia ita postulante: creaturas vero nutu divinae voluntatis trajici ad existentiam*. Probe quippe intelligitur, substantias simplices, seu elementa materiae absque aliquo existendi modo qui ex iisdem necessario consequatur, esse non posse; non necessario vero postulare hunc aut alium finitum existendi modum.

PROPOSITIO LII.

„ *Sed vietam hanc et rancidam respondendi rationem (Scholasticorum) seponamus* „. (§. 686. pag. 300.).

(a) *Vid. notas 7. 8. 9., et append. in fine*.

PROPOSITIO LIII.

„ *Aristotelearum regularum fere derellcta est methodus*, *et ingratus est* „ *usus*: *tanquam satietate illarum adhibendarum* „. (§. eod).

PROPOSITIO LIV.

„ *Negligantur*, *deserantur*, *jaceant syllogismorum regulae*, *cum sine ipsis* „ *examinari veritas possit*, *ac latens erui* „. (§. eodem).

PROPOSITIO LV.

„ *Imo et interdum fallunt*, *aut lidificantur utentem*, *neque alio pertinent*, *nisi* „ *ut juvenum conterant cerebrum*, *ac laqueis ingenium intercipiant* „. (§.eod.).

NOTAE.

95. Adversus Theologiam Scholasticam, quae stylo simplici, sed pressiori, certa methodo, et ope dialecticae res divinas pertractat, Pseudoreformati haeretici conjunctis viribus, ex primo, quo erupere, momento, invecti sunt, ipsam ceu Religioni inimicam, et faecundam jurgiorum, rixarumque scaturiginem traducentes. Lutherus (*a*) Scholas Catholicorum lupanaribus comparat: Angelicumque Doctorem irae Dei phialam impudentissime appellat. Calvinus in suis Institutionibus, Theologiam Scholasticorum, neglecto Christo, sibi insanire ac ventosis speculationibus indulgere, pronunciat. Similia his obganniunt reliqui Protestantium. Verumtamen iniquae ejusmodi in Theologiam Scholasticam haereticorum importatae calumniae, atque criminationes sat demonstrant, quanti ea a nobis sit facienda; irascuntur quippe armis, quae pertimescunt, canumque instar lapidem, quo feriuntur, arrodent. Nimirum aegerrime ferunt haeretici, nos ad evertenda eorundem sophismata adversus Catholicam Veritatem excogitata, instructos esse; vellent siquidem nos imparatos offendere, ut planiori via, exituque feliciori, Fidei nostrae dogmata oppugnare possent, atque convellere.

96. Haereticorum vestigiis inhaerere Mastrofinius videtur, dum Scholasticam methodum tantopere insectatur. Vocat enim eam *vietam* ac *rancidam*: *fere derelictam esse*, ejusque *usum*, *tanquam satietate illius adhibendae*, ingratum accidere: deserendas, negligendas, sepelliendas esse syllogismorum regulas,

(a) *lib. de abroganda Missa priv.*

vociferatur : imo et deceptrices ac exitiosas easdem vocat ; utpote quae interdum fallant , ac ludificentur utentem , nec alteri praestando aptae sint , quam juvenum cerebro conterendo , laqueisque intercipiendo eorundem ingenio . Mirum porro videri debet , a Viro Catholico , qualem se Mastrofinius profitetur , tanta evomi potuisse verba contemptus livorisque plenissima adversus eam docendi Methodum , quae per septem saeculorum intervallum in Catholica Ecclesia constanter viguit ; quam Summi Pontifices Innocentius , Alexander , et Urbanus IV. Joannes XXII. et Innocentius VI. maximopere commendarunt : Oecumenica Concilia Lateran. IV. Viennense , Constantiense , Florentinum , ac Tridentinum probavere : quamque demum omnes Catholicae Accademiae excolunt , et sequuntur . Sed quod magis stuporem provocat , est quod Auctor , dum simplicem illam et apertam Scholasticorum Methodum livido calamo insectatur , ipse Opus suum innumeris dialecticae tricis , philosophicis cavillationibus , spinosisque ratiociniis totum consarcinet , uti illud volventi patescet . Quocirca in eundem retorqueri possumus Augustini adversus Cresconium Donatistam , qui dialecticam in Augustini disputationibus reprehendebat , cum interim ipse Cresconius plura subtiliter , arguteque dissereret , illud effatum : " Si noxia sunt (inquiebat Augustinus) quare hoc facis ? Si non sunt , „ cur arguis ? „ Allatae igitur Mastrofinii propositiones temerariae mihi videntur , in Catholicas Universitates , Doctoresque Scholasticos injuriae , male sonantes , ac tandem suspectae de errore Wicleffi , cujus a Constantiensi Concilio (*a*) damnata est propositio , qua ille affirmabat , *Universitates* , *studia* , et *Collegia* (ubi per id tempus potissimum Sacra Doctrina methodo scholastica tradebatur) , *vana garrulitate introducta esse* .

PROPOSITIO LVI.

„ *Molliora loquamur : decent Molliora aetatem hanc nostram* „ . (§. 636. pag. 300.) .

NOTAE.

97. Vietam ac rancidam Scholasticorum methodum , et aristotelearum regularum barbariem pertaesus Sublimioris Metaphysicae Fabricator , molliora loqui amat , ut mollioribus aetatis nostrae hujus hominibus litet , delicatis eorundem auribus pluriat , easque mulceat suavi modulamine . Quid indignius viro Catholico , qui de rebus gravissimis ac sanctissimis se agere protestatur , quam ista garrire ? quid liberius ? quid scurrilius ? Ergone Religionem humanum ex-

(a) *Sess.* 8.

cogitatum arbitrabimur, ut de eadem, prout hominibus libitum erit juxta consuetudinem temporum, aetatumque mores loqui fas sit? ergo cuilibet posthac, inconsulta, ac etiam contradicente Ecclesia, licebit novas in dies comminisci loquendi formas, delicatas, molles, placentes, cum de veritatibus ad fidem pertinentibus agitur; et non amplius, ut monet Apostolus (*a*), ***habenda erit forma sanorum verborum***, quae ab Apostolis, et Ecclesia accepimus? Ergone deinceps, Mastrofinio praeeunte, divinis Scripturis praetermissis; quae nobilem simplicitatem praeseferentes, durissimas mollibus minas intentant; romanenses historias, quae mollibus eloquentiae floribus asperguntur, ac narrant molliora, perlegemus, quia molliora decent aetatem hanc nostram?

PROPOSITIO LVII.

„ *Rugis contractae philosophorum frontes explicuere se tandem: de si-*
„ *lentio atque solitudine erupere se in lucem philosophi: excussere vestes:*
„ *abstersisque sordibus, ac rusticitate posita, majestatem comitate, et hila-*
„ *ritate severitatem condivere* „. (§. 686. pag. 302.).

NOTAE.

98. Illusis subsannatisque Scholasticis, repente modernorum Philosophorum texit elogium, eosque commendat, quod eorum frontes rugis contractae se tandem explicuerint, quod de solitudine ac silentio egressi in lucem sese eruperint, quod excusserint vestes, quod sordibus abstersis, positaque rusticitate majestatem comitate, et hilaritate severitatem condiverint. De quibus hoc loci Philosophis Mastrofinius verba miscet? Nunquid de iis hic loquitur falsi nominis philosophis, qui fidem omnem, rationemque suis cupiditatibus posthabentes, perfricta tandem fronte, de silentio, ac solitudine, ubi et impietatis ipsorum turpido, et suppliciorum metus tandiu eosdem detinuerat, in publicum erumpentes, impietatem palam professi sunt; et excussis verecundiae vestibus, ac posita Christiana modestia, cunctisque juribus violatis, molliora loquuti sunt, fidei ac moribus labefactandis, vitiis, passionibusque ciendis quammaxime accomodata, ut videre est in tot infamibus pestiferisque libellis, quibus, maximo Religionis, ac Reipublicae detrimento tellus oppleta est? Dubitationem excitant verba, quae Auctor subdit, prout patebit ex propositione sequenti.

(a) 2. *Tim.* 1. 13.

PROPOSITIO LVIII.

„ *Uno opere et veritatis oracula fundunt, et puellarum, (si quidem in tantae „ rei tractatione, haec deceat nominare) puellarum captant amores. Mollio- „ ra loquamur; decent molliora aetatem hanc nostram* „. (§. eodem).

NOTAE.

99. En ratio, quare Mastrofinius loqui vult molliora, ut puellarum scilicet captet amores: exemplo motus eorum, qui e solitudine atque silentio sese erumpentes in lucem, philosophorum, quique expoliti, festivi, munditiem, venustatemque affectantes, oracula fundunt veritatis, et puellarum captant amores. Decebant ne, a Viro Catholico, qui de Fidei nostrae maxime tremendo Mysterio, ac sacratissimo disserit, haec nominari, quorum vel ipsos Epicureos Philosophos, Cynicosque puduisset? Propositio itaque isthaec male sonans, ac scandalosa est: Dei legi et Christianae verecundiae adversatur: et latissimam libidini viam sternit, ad impurosque incitat amores. O tempora! O mores! Si alia, praeter istam, in toto Mastrofinii opere propositio censura digna haud offenderetur; ob id tantummodo dignum foret, quod flammis addiceretur.

PROPOSITIO LIX.

„ *Quamquam Deus Pater nonnihil sibi trahat de propietate matris et no- „ mine: utpote ex utero genuisse Filium non semel tradatur; sitque uterus „ Matris proprius, non vero Patris. Quae omnia apposite prorsus: cum „ enim primus e Trinitate contulerit id omne ex quo Filius oriretur, pu- „ tandus est quodammodo matris perinde vicem supplevisse* „. (§. 881. pag. 381.).

NOTAE.

100. Metaphysica Sublimior tam humiliter, demisseque de Deo hic loquitur, ut sic loqui vel rudissimus quisque erubesceret. Jam pro prima vice audire cogimur, Deum Patrem non de nomine tantum sed et de proprietate matris, aliquid sibi trahere, quia uterum habere traditur, qui uterus proprius est Matris, non vero Patris: et ejusmodi apposite prorsus dici de Divino Patre, sine verecundia Auctor affirmat: quia cum Pater contulerit totum id, ex quo Filius nasceretur, putandus est quodammodo Matris perinde vicem supplevisse. Ergo juxta hanc Metaphysicam, quae sublimissime de Deo loqui se jactat, Divinus Pater habendus erit tamquam Androgynus, ut pote qui et Patris idest

maris, Matrisque, scilicet faeminae, tum nomine, tum proprietate pariter gaudeat. Quis haec tam ludicra, tam scurrillia, tam impia sustinere valeat?

PROPOSITIO LX.

„ *Non est vero hoc in loco praetereundum, fuisse olim a quibusdam, utcum-*
„ *que immerito, addubitatum, num primus e Trinitate Filium genuerit, eo*
„ *quod viderentur duo necessarii ad generationem ineundam. Nunc dubi-*
„ *tationis fons ipse est interclusus, ex uberiori etiam quam sibi Posteritas*
„ *comparavit naturalis Historiae cognitione. Quippe hinc certissime scimus*
„ *non pauca animalcula gignere, ipsa per se sola, citra foemellarum com-*
„ *mercium; cujusmodi sunt animantia exiguissima, quae penes Italos di-*
„ *cuntur Gorgoglioni, imo et species quaedam conchyliorum. Porro in eam*
„ *rem consulenda est Bomarii naturalis historia in articulis Gorgoglioni,*
„ *Conchyglia etc. mihi enim satis fuerit haec indicasse* „. (§. eodem).

NOTAE.

101. Dubium dedeceus proferens Metaphysicae Sublimioris Auctor, impudentiori illud responsione resolvit; dicens, dubitationis hujusce: *Num scilicet primus e Trinitate Filium genuerit, eo quod duo viderentur necessarii ad generationem ineundam*, fontem ipsum esse interclusum ex cognitione naturalis historiae; quia animalcula quaedam exiguissima, puta Curculiones (vermes exilissimi frumentum corrodentes), et quaedam conchylia, gignunt, ipsa per se sola, citra commercium faemellarum. Ergo eo usque deprimenda erat infiniti Dei majestas, et Gloria, ut esset etiam ab homine cum iis, quae in terra vilissima sunt, idest cum vermiculis, comparandus! proh nefas. Et hic ad laudem Sacrosanctae, et individuae Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Finis esto.

APPENDICULA

AD PROPOSITIONEM XIII. pag. 6.

Cum opella haec mea sub praelo jam esset, et fere ad exitum perducta, oblatum est mihi a Viro Clarissimo Opusculum Marci Mastrofini, cui titulus = Fallaciarum Magistri Piazza adversus Metaphysicam sublimiorem demonstratio. Florentiae anno 1821 = *nimirum Opusculum, quo Marcus Mastrofini Specimini Laudati Magistri, seu Voto respondet. Quoniam porro in eo nonnulla reperi, quae contra aliquas animadversiones meas similiter faciunt; e re esse arbitratus sum, hanc adjicere appendiculam propositioni XIII., ut subjectam ei notam* 8. *confirmarem: aliam longiorem appendicem, (quoniam divini verbi praedicatione distentus, ad haec animum adjicere nunc nequeo) dein, juvante Deo, in lucem editurus.*

1. Inter plurima, quae profert Mastrofinius adversus Speciminis, et Voti Auctorem, ei improperat, quod essentias contingentium abstractas, et intelligibiles, prout intellectu Dei continentur, cum essentiis contingentium realibus, et actualibus, prout. sunt extra Deum, ipse confuderit. Ita enim in suo Opusculo (*a*) loquitur Mastrofinius: *In Metaphysica dissertatione vox essentiae accipitur, ut solet apud Metaphysicos pro re abstracta, pro forma, vel ut Scholae vocant pro* quidditate *rerum intelligibili*: *Magister autem exponit pro formis ipsis externa creatione expressis, et extra Deum consistentibus. Quare stulte interpretatur.* Quae quidem Mastrofinii verba animadversionem quoque meam 8. impetunt; nam et ego contingentium essentias pro realibus, et actualibus exposui, inquiens: *Ergo cum reales contingentium essentias creat Deus* etc. Ut igitur interpretationem meam tuear, ac vallem, omnemque evadendi Mastrofinio rimam praecludam, breviter ostendam, de essentiis abstractis, et intelligibilibus, non loqui Mastrofinium in sua dissertatione Metaphysica, sed de realibus essentiis contigentium, et extra nihilum degentibus. Quod ut exequar,

2. Ad principia regrediendum est, quibus ejus demonstratio innititur; nisi enim principia, a quibus ipse proficiscitur, probe intelligamus, fieri nequit, ut ejus mentem assequamur. Primo itaque statuit (*b*) Auctor hanc propositionem = Possibilia omnia extra nihilum reperiuntur = . Propositioni ejusmodi duplex potest subesse sententia: vel enim possibilia omnia reperiuntur extra

(a) *not.* 17. *pag.* 257.   (b) §. *XXIII.*

nihilum, quia aliquid actu sunt in seipsis : vel quia aliquid sunt in intellectu Dei. Posterior sensus admitti non potest; quia sic Mastrofinius supponeret jam Dei existentiam antecedenter ad possibilia, quae in eo sunt; adeoque a posteriori duntaxat Dei ipsius existentiam demonstraret: quod est contra Auctoris propositum; nam affirmat, se non a posteriori, sed a priori Dei existentiam demonstrandam aggredi: id quod facto confirmat; nam a possibilibus omnibus, quae reperiuntur extra nihilum, tanquam a prioribus, ad demonstrandam Dei existentiam devenit. Quare prior sensus est admittendus. Jam vero si possibilia omnia, quia reperiuntur extra nihilum, aliquid in seipsis actu sunt, et aliquid in seipsis realitatis, et actualitatis praeseferunt; ergo vere existunt; nam existentia juxta Metaphysicos non est, nisi positio rei extra nihilum; ergo cum vis creatrix essentiarum juxta Mastrofinium possibilia vel distinguat, et combinet, vel combinet tantummodo; apparet, essentias contingentium, quae per illam vim distinguuntur et combinantur, vel solum combinantur, reales esse, et actuales, non tantum abstractas, et intelligibiles, utpote distinctiones et combinationes, vel solas combinationes entium non abstractorum, et intelligibilium, sed possibilium extra nihilum jam positorum, et existentium.

3. Sed pergamus. Possibilia omnia extra nihilum reperiri, sic probat Mastrofinius = *Secus enim intra nihili, ut ita loquar, ambitum concluduntur. Itaque tam nihilum ipsa erunt, quam nihilum est id, in quo continentur. Nihil ergo possibilium posset admitti. Quod repugnare docuimus* (§. XXII.) =. Nedum igitur juxta Auctorem possibilia omnia aliquid sunt, sed est aliquid quoque id, in quo eadem continentur. Quidnam vero sit id, in quo possibilia omnia contineantur, docere pergit Mastrofinius = *Dici nequit*, inquiens (a) *possibilia extra nihilum reperiri, eo quod in sua tantum possibilitate maneant. Secus enim ipsa rerum possibilitas aut ipsum manere in sua possibilitate unum, idemque foret, ac positio extra nihilum. Itaque possibilia ipsa peculiarem quemdam locum sibi constituerent. Porro locus hic aut foret existens, aut non existens, idest locus nihili, aut locus quidam intermedius. Locus hic intermedius locus foret simpliciter possibilis. Itaque possibile quidem esset, possibilia extra nihilum reperiri; non tamen reipsa extra nihilum degerent. Quod si locum non existentem nempe nihili, sibi possibilia efformarent; ergo extra nihilum non reperirentur, eoquod maneant in sua possibilitate. Tandem si possibilia sibi locum existentem faciant; ergo possibilia non quia manent in sua possibilitate duntaxat; sed quia singula adjunctum habent locum existentem, nempe quia singula in existentia manent etiam, quacunque tandem ratione id accidat, extra nihilum hospi-*

(a) §. *XXIV.*

tantur . Dici igitur nequit possibilia extra nihilum reperiri , eoquod in sua tantum possibilitate maneant .

4. Ex his Mastrofinii verbis fit manifestum, locum aliquem esse id, in quo possibilia omnia continentur. Sed locus iste erit ne existens, an tantum locus nihili, hoc est non existens, an tandem inter eos duos intermedius? Nam et tres hi casus fiunt a Mastrofinio. Porro tertius casus manifeste repugnat; cum locus intermedius, locus existens scilicet, et simul non existens, sit omnino impossibilis; *quicquid enim*, uti habet axioma metaphysicum, *vel est vel non est* . Alter casus vi probationis (*a*) allatae prorsus excluditur; si enim locus nihili, idest, locus non existens foret, tunc possibilia intra nihili ambitum concluderentur, adeoque tam nihilum ipsa forent , quam nihilum est id, in quo continerentur: quod repugnare docuit. Ergo tertius casus, nempe locum, quem possibilia adjunctum habent, esse existentem, necessario admittitur a Mastrofinio; secus enim probatio ejusdem nugatoria foret, ac ludicra, utpote nihil probans: neque is explicuisset, qua ratione dici nequeat, possibilia extra nihilum reperiri, eo quod in sua tantum possibilitate maneant. Perperam igitur Auctorem Voti et Speciminis arguit Mastrofinius , quod haec verba = *quia singula adjunctum habent locum existentem* , etc. quae ille conjunctim cum thesi protulit, in *thesi* ipsa *prorsus non reperiantur* . Nam quamvis in thesi non reperiantur, sunt tamen verba Mastrofinii, et thesis probatio, seu ratio, cur dici nequeat , *possibilia extra nihilum reperiri, eo quod in sua tantum possibilitate maneant* . Neque dici possunt eadem verba sumi per Mastrofinium tantum hypothetice. Nam alioquin thesim suam non legitime demonstrasset, quippe quam hypothetica tantum probatione, quae falsa esse potest, communivisset; et praeterea diversa loquendi ratio, qua utitur in tribus illis casibus proponendis, id confirmat; quandoquidem duos illos casus, quos rejicit, effert tempore praeterito conjunctivi modi imperfecto: *Constituerent*, *forent*, *efformarent*, *reperirentur*; quem autem admittit casum, praesenti modi indicativi, et conjunctivi tempore enunciat: *Faciant*, *manent* , *adjunctum habent*, *hospitantur*. Neque est etiam, cur (*b*) Mastrofinius regerat: *Ubique Scholarum certissimum esse res omnes, ut sunt possibiles* , in Deo *reperiri*, *non extra Deum in sua disjunctim possibilitate*. Nam possibilia, (quia ontologice considerata, nihil omnino in seipsis actu sunt, sed tantum in potentia, et possibiliter), relate ad Deum non esse aliud, nisi ipsam divinam essentiam, quatenus certis modis a Creaturis participari ea potest, seu non esse , nisi ideas archetypas intellectu Dei contentas , docent quidem Catholicae ubique Scholae; sed non docet Metaphysica Mastrofinii dissertatio: quae tantum hic do-

(a) §. *XXIII.*

(b) *ibid. not.* 5.

cet : et, *possibilia omnia reperiri extra nihilum*, et, *adjunctum habere locum existentem*. Si enim cum caeteris Metaphysicis catholicis sentiret Mastrofinius, cur, prout iidem faciunt, non se expressit ? Cur caeteris casibus, quos facit, non hunc etiam adjecit, et tribus illis exclusis, hunc solum, ad omnem aequivocationem tollendam e medio, clare non docuit, non inclusit? Praeterquamquod meminerit Mastrofinius, se demonstrationem existentiae Dei, a priori, tradere in sua dissertatione: quod falsum profecto foret, prout supra est observatum, si possibilia dici extra nihilum degere, quia in Deo reperiuntur, ipse intellexisset. Quod si tandem loci existentis nomine Deum, in quo omnium possibilium ideae insunt, vellet, (injuria quidem) intelligere, pessime in re tanti momenti fuisset eloquutus; quis etenim unquam Deum relate ad possibilia, quae novit, *locum adjunctum existentem*, *et existentiam*, in qua *eadem possibilia manent*, vocare hactenus praesumpsit? Cum itaque et possibilia omnia extra nihilum, seu in existentia manere, et adjunctum habere locum existentem doceat Mastrofinii dissertatio; patere non ambigue arbitror, veri nominis, proprieque dictam creationem, quae est *totius rei productio ex nihilo*, *seu productio rei ex nihilo sui*, *et subjecti*, per istiusmodi doctrinam excludi, et solum distinctionem, et combinationem, vel solam combinationem admitti possibilium extra nihilum jam positorum, et existentium; adeoque excludi etiam a Mastrofinio abstractas Essentias, et intelligibiles, et reales tantummodo Essentias, atque actuales admitti.

5. Quod rursus apparet apertius ex probatione, quam affert ad ostendendum ☱ *Ens necessarium* vim habere creatricem essentiarum ad contingentia pertinentium. Probatio ejusmodi est (*a*) : *Quandoquidem possibilia omnia, nonnisi in Entis necessari Essentia continentur, eminenter tamen* (§. *XLIX.*). *Jam vero haec aut alterum extra alterum realiter posita sunt; vel secus. Primum esse nequit: alioquin paribus realiter distinctis ipsa Entis necessarii Essentia coalesceret. Ergo alterum obtineat necesse est. Itaque possibilia omnia veluti in unum conglobata manent. Porro aut aliquo pacto illa distinguuntur; aut secus (neque enim praestat eam controversiam dirimere). In postremo casu, ut Ens necessarium valeat existentiam creare possibilium contingentium, oportebit, ut ea distinguat, ac simul combinet. In priori casu, cum aliquo pacto distincta sint, necesse erit, ut saltem ea mutuo conferat, nempe combinet. Igitur in casu quolibet, vis creatrix, et conservatrix existentiae sibi praeire postulabit vim illam, per quam Ens necessarium possibilia combinet, videlicet essentias creet. Est itaque Enti necessario haec altera vis adscribenda* ☱.

(a) *LXXXIV.*

6. Jam 1. Quamquam hoc in loco de abstractis essentiis et intelligibilibus reipsa ageret Mastrofinius (quod tamen falsum esse ostendimus, et praeterea ostendemus); adhuc nihilominus acri reprehensione dignus evaderet; tam impropria, ac periculosa vocabula usurpando, quin sese antea explicuerit. Siquidem actio illa, qua divinus intellectus Essentiam contemplans, in eadem unico et simplicissimo actu videt omnia possibilia, eorumque varia systemata, relationes, combinationes, nexus, distinctiones, caetera, vis creatrix recte proprieque dici non potest; quia intellectus Dei proprie ea non creat, sed tantum intuetur; nequit igitur Dei intellectus vis *creatrix* proprie appellari, nisi turpiter velimus abuti vocibus ad licentiam. Deinde distinctiones, et combinationes possibilium proprie in ideis divini intellectus inesse dici non possunt (alioquin dici deberet, Divinam essentiam distingui, et combinari, vel combinari duntaxat, per vim creatricem, cum ideae possibilium cum eadem Dei essentia identificentur: quod foret absurdum); sed tantum in rebus ipsis, quae distinguerentur, vel combinarentur, si aliquam possibilium seriem e nihilo creare Deus vellet. Quamobrem satis impropie, et aequivoce Mastrofinius (etiamsi de Essentiis abstractis, et intelligibilibus contingentium fuisset eloquutus) affirmavisset, possibilia per vim creatricem *distingui*, et *combinari*, vel *combinari* tantummodo. Neque eum juvarent Jacquierius, Wolphius, et Genuensis, quos (*a*) in sui adjutorium advocat contra Speciminis Auctorem. Hi quippe Philosophi docent duntaxat = *Deum, cum infinita intellectus sui vi, infinitas, et illimitatas perfectiones, quae sunt in ejus Essentia, perpetuo intueatur, omnes quoque limitationes perfectionum possibiles* (omnes nempe modos *illos limitatos, quibus creaturae illimitatas Dei perfectiones et infinitas participare possunt, quin tamen aliquid ex ejusdem perfectionibus veluti decerpatur, et transeat in creaturas*), *et finitorum quorumlibet combinationes omnes possibiles videre: seu omnia possibilia cognoscere in seipso* = ; non autum docent, prout Mastrofinius, vim creatricem possibilia vel distinguere, et combinare, vel solummodo combinare.

7. Atqui porro de Essentiis intelligibilibus, et abstractis nullo modo intelligi queunt verba Mastrofinii; nequit enim ulla ratione de possibilibus, qua possibilibus, dici, quod *veluti in unum conglobata* maneant; conglobari siquidem, nonnisi ea dici possunt, quae jam existunt, et quidem ea, quae in unum coadunata, undique circumcluduntur; quemadmodum ex: cau: plura pulveris pyrii grana in unum conglobata manere dicuntur, dum in tormenti bellici simul unita globulo, undique clauduntur. Quis porro, nisi nimium absurde, de possibilibus, quatenus a Deo intelliguntur, pronunciaverit, ea veluti

(a) *not.* 20. *pag.* 259., *et* 260.

in unum conglobata manere ? Rursus voces hae *conferri* , sive *combinari* , *distingui*, et *combinari* , nequeunt rite enunciari , nisi de rebus realibus , et existentibus ; quod enim nihil actu in se est , distingui , et combinari , vel combinari tantum non valet . Et quamvis easdem voces ad modum idearum mentis nostrae exprimendum transferantur , quatenus ideae dicuntur conferri, vel combinari et distingui; id fit tantum metaphorice, et ob intellectus nostri finitatem; dicitur quippe intellectus creatus ideas distinctas habere , cum distinctam plurium rerum , vel plurium ejusdem rei proprietatum notitiam habet : quemadmodum confusas ideas habere dicitur intellectus , cum nonnisi confusam , et obscuram rerum , rerumque proprietatum habet cognitionem : dicitur eas distinguere , cum plures res , vel proprietates , seorsim , et succevive considerat : dicitur tandem duas ideas simul conferre , vel combinare , cum ex duabus ideis , quas conjunctim considerat , tertiam aliam , quam prius ignorabat , ratiocinando colligit . Nihilominus hae voces ad ideas archetypas possibilium , quae sunt in intellectu Dei , significandas transferri non possunt ; cum enim Deus unico actu simplicissimo omnia prorsus possibilia perfectissime , et distinctissime ab aeterno cognoscat ; necesse non habet , ut ideas possibilium eorundem vel combinet tantum , si distinctae sunt , vel si non sunt distinctae , distinguat prius , et postea combinet : nisi stultissime finitam , imperfectam et successivam scientiam in Deo inesse opinemur . Quapropter si possibilia juxta Mastrofinium per vim creatricem *distinguantur* , et *combinentur* , vel tantummodo *combinentur* ; alterutrum erit utique affirmandum , aut nimirum possibilia aliquid in seipsis realitatis , et actualitatis praeseferre ; aut Dei scientiam non esse infinitam , aeternam , et perfectissimam .

8. Sed propius inspiciamus , quid proprie sint ejusmodi possibilia , quae juxta Mastrofinii doctrinam per vim creatricem essentiarum distinguuntur et combinantur , vel tantummodo combinantur . = *Vis autem creatrix essentiarum* , *ita* pergit ipse docere (*a*) , *operatur* , *nempe exerit actum sui proprium* , *si perfectiones ipsius entis necessarii limitato modo accipiat* , *ac simul combinet* . *Vis enim illa operatur ubi distinguit* , *et combinat possibilia contingentium* : *vel ubi combinat duntaxat* . *Cum autem possibilia haec omnia in Entis necessarii Essentia* , *sive perfectionibus illimitatis eminenter contineantur* ; *vis illa operabitur* , *ubi distinguat* , *et combinet* , *vel combinet simpliciter perfectiones ejusdem Entis necessarii* = Ex his ergo Mastrofinii verbis apparet , possibilia , quae per vim creatricem essentiarum distinguuntur , et combinantur , vel combinantur tantum , non esse , nisi ipsas Entis necessarii perfectiones sive jam distinctas , et combinatas , vel solum combinatas , sive

(a) §. *LXXXV*.

distinguendas, et combinandas, aut tantummodo combinandas. Si etenim juxta Mastrofinium vis illa creatrix, dum *distinguit, et combinat possibilia contingentium, vel ubi combinat duntaxat, nonnisi distinguat, et combinet, vel combinet simpliciter perfectiones ejusdem Entis necessarii*; consequens inde est, contingentium possibilia non aliud quidquam esse, quam ipsas Entis necessarii perfectiones distinctas, et combinatas, vel combinatas solummodo, sive limitato modo acceptas, simulque combinatas. Atqui porro perfectiones Entis necessarii maxime reales sunt et existunt; ergo existunt pariter contingentium possibilia, et realia sunt. Quod affirmare nisi sit absurdum, nescio an inter absurda aliquid recenseri queat.

9. Tandem quod de essentiis realibus, et actualibus Mastrofinii dissertatio loquatur, non de abstractis et intelligibilibus, manifestissime colligitur ex iis, quae subjicit. = *Ex his, quae hucusque tradidimus*, ait (*a*), *facile consequitur, substantias primigenias esse non posse, nisi omnino simplices, videlicet extensionis, ac figurae nescias. Sunt enim substantiae illae, quemadmodum essentiae, ab Ente necessario creatae, quibus respondent. Porro harum essentiae esse nequeunt, nisi entium simplicium essentiae. Cum enim ex nulla oriantur aliarum essentiarum secundarum combinatione; immediate creantur ex limitatione perfectionum pertinentium ad ipsum Ens necessarium, Ens videlicet omnium simplicissimum. Cum itaque essentiae illae nihil sint aliud, quam limitatio proprietatum simplicissimam necessarii Entis Essentiam constituentium; neque efformare illae poterunt, nisi essentiam alterius entis omnino simplicis. Itaque ut substantias primigenias dicamus omnino simplices, recta monet ratio* =. Et (*b*) subdit: *Exemplum geometricum paulo ante prolatum transferri huc etiam poterit. Fac enim lineam infinitam alio, atque alio modo circumscribi, seu limitari, ecquis non videt, finitas tantum lineas fore prodituras? Triangula vero, ac caeterae figurae non immediate ab ipsius lineae infinitae limitatione efformantur, cum sibi praevias postulent lineas finitas, ex quarum comparatione construi possint. Sic etiam primigeniae essentiae, quae immediate ex limitatione petuntur perfectionum ad Ens necessarium pertinentium, esse nequibunt, nisi entium simplicium essentiae. Qua ex veritate sponte sua fluit, prima compositorum, nostrorumque simul corporum elementa simplicia esse. Constat itaque a priori de corporeorum elementorum simplicitate. Quamquam vero corporum sive compositorum entium essentiae ex divina etiam essentia hauriantur, non inde tamen consequitur fore illa pariter simplicia. Istorum siquidem essentia cum aliorum contingentium ex quibus contexitur, possibilitatem involvat; non immediate illa*

(a) §. *LXXXVIII.*

(b) §. *LXXXIX.*

quidem ex divina Essentia petitur, vel eruitur. Inde tamen compositio corporum proficiscitur non secus, ac figura in triangulis, quorum essentia, nonnisi mediate, ex linea infinita oritur. Ac tandem (*a*) *haec habet* = *Cum Essentiarum vis creatrix non temere ac caeco veluti casu abrepta agere soleat, verum ex necessarii Entis essentia pendeat, seu dirigatur; hinc substantiarum primigeniarum sive simplicium essentia quaelibet unius potius, quam alterius indolis erit; eo quod unius non alterius indolis est necessarii entis Essentia.* Hactenus ille.

10. Jam si exinde quod Essentiae contingentium primigeniae *immediate petuntur ex limitatione perfectionum ad Ens necessarium pertinentium*, Mastrofinius concludat, substantias priminigenias, quae primigeniis essentiis respondent, omnino simplices dici oportere, nisi ratione abuti velimus; consequens inde fit, ejusmodi substantiarum possibilitatem per Mastrofinium penitus confundi cum actuali, extra Deum, realique statu earundem. Et quidem, tum de substantiis primigeniis extra Deum existentibus, tum de earundem per Dei intellectum conceptis essentiis pari modo disserit Mastrofinius; = *Sunt enim*, ut se exprimit, *substantiae illae, quemadmodum Essentiae, ab Ente necessario creatae, quibus respondent*: Eapropter si tam substantias primigenias, quam essentias, quibus illae respondent, similiter creatas is affirmat ab Ente necessario; alterutrum necessario exinde erit inferendum, aut scilicet primigenias substantias cum essentiis, quibus respondent, unum idemque fore, adeoque reales, et actu extra Deum positas utrasque, utpote utrasque ab Ente necessario similiter creatas; aut, si essentias istiusmodi Mastrofinius proprie creatas esse neget, substantias pariter, quae illis Essentiis respondent, non creatas proprie dicendas esse, sed has perinde, ac illas, *in Ente necessario*, ut ipse de omnibus possibilibus loquitur (*b*), *conglobatum iri*.

11. Rursus si ex quo primigeniae Essentiae, quae *immediate ex limitatione petuntur perfectionum ad Ens necessarium pertinentium, esse nequeant*, juxta Mastrofinium, *nisi entium simplicium essentias*, inferat similiter, *prima compositorum, nostrorumque simul corporum elementa simplicia esse*; manifestius apparere dignoscitur, elementorum corporeorum Essentias, cum elementis ipsis actualibus, ac realibus confundi iterum per Mastrofinium, adeoque essentias illas reales esse, quemadmodum realia sunt *prima compositorum nostrorumque simul corporum elementa*. Quandoquidem si de intelligibilibus tantum Essentiis, prout intellectu Dei continentur, loqui is intelligeret, perperam omnino concluderet: quippe a possibilitate ad actum, ab ideis archetypis, quae sunt in intellectu Dei, elementorum, ad elementa ipsa, prout

(a) §. *XCI.* (b) §. *XLIX.*

sunt extra Deum, concluderet. Quis enim, nisi affatim stulte, concluderet, simplicia esse debere prima compositorum elementa, propterea quod simplex est idea, quam eorundem gerit in mente Deus? Si namque ita ratiocinari fas esset, concludere similiter possemus, et composita ipsa quaecumque dicenda fore simplicia, quia corporum quorumvis ideae, quas habet Deus, sunt simplices utpote cum ipsius Dei essentia, quae simplicissima, et perfectissima est, et in qua nihil duplex, compositum, vel coagmentatum suspicari licet, eaedem penitus identificatae: quod foret absurdissimum. Quamobrem si prima corporum omnium elementa simplicia idcirco statuit Mastrofinius, quia eorumdem essentiae immediate petuntur, vel creantur ex limitatione perfectionum Entis necessarii; fatendum erit, essentiarum simplicium Entium nomine non abstractas, et intelligibiles sed actuales utique realesque essentias intelligi oportere; secus enim constare non posset, ut ipse secundo concludit, *a priori de corporeorum elementorum simplicitate*. Quae quidem secunda illatio aliud praeterea absurdum patefacit; si namque propterea constat a priori de corporeorum elementorum simplicitate; quia essentiae horum elementorum immediate petuntur ex divinarum perfectionum limitatione, seu immediate ex divina Essentia, quae simplicissima est, hauriuntur; consequens inde est, elementa ejusmodi in Dei essentia realiter contineri, eamque constituere, *quatenus in unum conglobantur*, et unum extra alterum realiter posita non sunt; constituere vero Essentias singillatim quarumlibet primigeniarum substantiarum, seu suipsorum eorundem elementorum, si haec alterum extra alterum realiter posita seu vere realiterque distincta considerantur; adeoque *substantiarum primigeniarum, sive simplicium* elementorum *quamlibet Essentiam* unius *potius, quam alterius indolis futuram*; *eo quod unius non alterius est necessarii Entis Essentia*; proindeque unam eandemque esse tum Entis necessarii, tum cujuslibet finiti Entis simplicis essentiae indolem, ac naturam. Quod quid, amabo, aliud est unquam nisi aperta Phantheismi, ac Materialismi doctrina?

12. Neque est, cur asserat Mastrofinius, essentias hasce primigenias *eminenter* tantum in necessarii Entis Essentia contineri, et quaedam alia proferat, quae cum Christiana doctrina consentiunt. Nam 1. nihil omnino interesse existimandum est, quod Mastrofinius quaedam veritati consentanea eloquutus sit, sed illud est maximopere perpendendum, an scilicet principia aliqua eidem veritati adversantia is constituerit. Porro quod aliqua Auctor protulerit veritati, et Religioni convenientia, minime inferendum exinde est, trahi in bonam partem posse, si quae falsa principia, et erronea intermiscuerit; sed haec potius ex eo deducenda illatio est = Auctoris principia (spectatis tum obvio sensu, quem eadem praeseferunt, tum tota doctrinae combage, ac serie) veritati non congruunt; quapropter si quae eidem consona interdum enunciat, con-

sideranda non sunt, neque attendenda. Non itaque sat est, quaedam Auctorem, quae veritati favent, quandoque proferre; sed praeterea necesse est ut ne proponat quidem aliquid quod veritatem eandem aut impugnet quoquomodo, aut labefactet. 2. Vocem hanc *eminenter*, non eo sensu accipit, quo ea sumitur a caeteris e Schola Philosophis, ac Theologis, prout supra (*a*) animadversum est; et praeterea clarius id evincitur ex ipsius Auctoris verbis, quae profert in sua dissertatione; in ea siquidem postquam (*b*) affirmavit: *Ens necessarium fontem esse possibilitatis universae, sive in Ente necessario possibilia quaelibet contineri, eminenter tamen*; explanans, qua ratione *possibilia omnia* eminenter in Ente necessario contineantur; haec habet = *Eminenter tamen, ut inquiebam. Secus enim Entis necessarii essentiam constituerent entia contingentia realiter distincta, nempe Ens necessarium compositum foret. Id quominus dicamus, quanta quanta est*, Theologia *vetat* §. 41. =. Ergo ratio, cur juxta Mastrofinium possibilia omnia *eminenter* contineantur in necessarii Entis essentia, haec est, quia in ea possibilia non sunt realiter distincta, seu alterum extra alterum posita; ea ratione ex. gr. qua in dato numero plumbeorum characterum in unum conglobatorum eminenter continentur omnes possibiles distinctiones, et combinationes characterum eorundem; etsi quatenus conglobati characteres illi realiter ac formaliter contineantur in illo numero, eumque constituant. Ergo quatenus in Ente necessario, quod *numero unum existit, possibilia omnia conglobantur*, seu *alterum extra* alterum non sunt posita, in ipso Ente necessario realiter, ac formaliter insunt, nedum eminenter. Sed satis haec sint.

FINIS.

(a) *not.* 21. *pag.* 16.

(b) §. *XLIX.*

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendissimo P. Magist. Sac. Palatii Apostolici.

J. Della Porta Vicesgerens.

APPROBATIONES

Ex commissione Rmi P. S. P. A. Magistri evolvi librum, cui titulus: *Propositiones aliquot etc.* Hujus laboris Auctor, se scribere testatur non, ut aliorum opera carpat, sed ut Catholicam Fidem vindicet. Cumque juxta antiquissimas Ecclesiae voces, et sensus de divinis rebus sermocinetur: hinc existimo, quod nedum Fidelium mentes in ejusdem libri lectione nihil a Fide, et bonis moribus damnatum invenient; verum, si qui forsan non rectas alibi opiniones imbiberint, poterunt ex hisce etiam scriptis ediscere, quomodo circa nonnullas Dei proprietates, Divinarumque Personarum Trinitatem et catholice sentiant, et congrue loquantur.

Ex Collegio nostro S. Mariae de Victoria Urbis hac die 27. Octobris anni 1821.

Fr. Paulus a S. Joseph in eodem Collegio Carmelitarum Discalceatorum Praelector.

Opus cui titulus praefigitur: *Propositiones aliquot Marci Mastrofini fideliter extractae tum ex sua dissertatione, in qua de Dei existentia disputat a priori, tum ex sublimiori sua Metaphysica de Deo Trino et uno ec. Auctore Alexandro Dilio Presbytero Argentinensi*: jussu Rmi P. Sacri Palatii Apostolici Magistri, ea qua potui diligentia perlegi, quin aliquid offenderim, quod aut Orthodoxae Fidei, aut morum sanctitati absonum videri possit; imo miratus sum opus summo religionis studio susceptum, diligenti elaboratum cura; et firmando Ssmae Trinitatis dogmati idoneum. Quapropter religioni plurimum utilitatis adfuturum censeo, si publici juris fiat.

Romae ex Collegio S. Mariae in Monticellis die 26. Octobris 1821.

Petrus Glauda Congregationis Doctrinae Christianae, S. Theologiae Lector.

IMPRIMATUR

Fr. Philippus Anfossi Ord. Praed. Magister Sacri Palatii Apostolici.

		ERRATA		CORRIGE
Pag.	III	linea 25	existentiam	existentia
	3	25	Caelum	Coelum
	4	12	Caelum	Coelum
	23	3	Filium	Filum
	25	1	existend-i	existendi
	25	3	dis-xi	dixi
	25	4	virtu-alem	virtualem
	25	5	qu-oniam	quoniam
	25	15	f erar	ferar
	35	36	ipsiumet	ipsiusmet
	36	20	speciarum	specierum
	36	21	quse	quae
	41	28	Caelum Caelum	Coelum Coelum
	43	4	Caelum Caelestia	Coelum Coelestia
	50	36	simplicite	implicite
	57	10	absurdum et, et	absurdum est, et
	57	13	consimil iratione	consimili ratione
	59	33	a nobi	a nobis
	66	24	natur e	naturae
	69	29	praes o	praesto
	70	15	disiderio	desiderio
	73	3	Filique	Filiique
	73	14	injurium	injuriam
	74	26	Theologo s	Theologos
	78	29	faecundate	faecunditate
	81	10	meterici	materici
	82	32	indicandam	indicandum
	85	14	emmeratis	enumeratis
	87	23	turminum	terminum
	88	15	conciscere	consciscere
	90	3	esti	etsi
	92	12	prepositio	praepositio
	98	6	Unum	Unam
	109	27	autum	autem
	112	29	essentias	essentiae
	113	38	combage	compage